



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**D. Erasmi Roterodami Bvcolicon, Lectu digniss. cum
scholijs Alardi Aemstelredami, cuius studio nunc primum
& repertum & aedium est**

Erasmus, Desiderius

Coloniæ, 1539

VD16 ZV 25822

urn:nbn:de:hbz:466:1-29843



In. 970.

B.I.45.


D... ..

.. ..

.. ..

.. ..

.. ..



D. ERASMI

ROTERODAMI BVCOLICON, LE
ctu dignis. cum scholijs Alardi Aemstelre
dami, cuius studio nunc primum & res
pertum & æditum est.

Locus communis de uitando pernicioso libidinosoq;
aspectu, eodem pertinens.

Sacerdotum cœlibatus.

Mulier iuxta omnes Inventionis Dialecticę locos ex
plicata per Alardum Aemstelredamum.



Coloniæ, ex officina Heronis Alopecij. An. 1539.

4

I N E F F I G I E M D. E R A
smi Roterodami per Alardum Aemstel
redamum.

Sic Heroïna manus graphicè depinxit Erasmum,
Ut præter uocem uiua sit effigies.
Dulcia cygneæ quæ sint modulamina uocis,
Quo condita triplex lingua lepore fluat:
(Qua pensat, quicquid morbo seniore minutum est)
Plus satis è scriptis sunt manifesta libris.
In quibus audire est mentem cum uoce sonantem,
Et specimen dantem, quo fuit ingenio:
Quo candore, quibus donis, qua præditus arte:
Qua probitate fuit, qua pietate fuit:
Addictos studijs qua sedulitate iuuandi,
Ornandiq; rudem, qua licet arte, gregem:
Qua tot dexteritate malos prauosq; ferendi:
Qua uirtute, fide, religione fuit.
Quid multis? uni felix dedit omnia Erasmo,
Quæ dare Natura, quæ uè Minerua potest.

H E R O A L O P E C L
us Poëticæ candidatis.

ENdamus uobis carmen longe festiuiss.
pariter & (ut si quid aliud) utiliss. Quod
unà cum alijs additis, quisquis iuuenum nõ
legerit, mea quidem sententia parum muni-
tus fuerit aduersus libidinosos aspectus, ius-
ta ac fucos muliebres. Vale ac fruerè,

ALARDVS AMSTELRE

damus Iacobo Duuēuordio Harlemæo

iuueni cum primis Illustri, candi

doꝝ S. D.



N tibi mi Iacobe, pro Epithalamio iam olim destinato, & nuper admodum uerecunde flagitato, Bucolicum carmen tuus mittit Alardus, & quidem lectu dignissimum.

Quò autem lectum, possit ab omnibus intelligi, Scholijs quoque illustrauimus: obiter præter Scholiorum legem etiam fusius explicato Loco communi de uitando pernicioso libidinosoꝝ aspectu, unde omnis, aut ferè omnis uitiorum colluuius scaturit atque promanat. Qui etsi semper aliàs, nunc certè in primis fugiendus est: fugiendus autem: imò uerò modis omnibus arcendus. Siue quòd nunquam publice priuatimq; fuerint plura muliebria ostentacula, liberiora spectacula, blandiores illecebræ, lasciuiiores Galatæ, solaciores sponsi Penelopes: Siue quòd hodieq; (cur enim non utar Hieronymianis uerbis?) ingrediuntur expolitæ libidinum uictimæ, & tenuitate uestium nudæ impudicis oculis ingeruntur. His infelix uxor aut lætatur, & perit: aut offenditur & maritus iniurgia cõcitur. Hinc discordia, seminarium repudij: Siue quòd iam nūc picturis nobilitantur, atq; adeò inaurantur propudiosæ Laydes, mammosæ Spatalæ, effœminatæ choreæ, nasatorum cordax, lasciui complexus, atq; plusquã obscœna balnea nusquã non ob oculos uersantur. Huiusmodi enim nunc dignantur parietibus, ac postibus suis Christiani quidam, ut quæ pro diuorum imaginibus suspiciant: Siue quòd ubiq; prostibulorum plena sunt omnia, quorum execrabilitas omnes polluit ciuitates: Siue q; nunq̃ fuit pōpa fastuosior, cultus supbrior, luxus furiosior, libido portētosior, ut iure in nos cõperat illud è triuio, Luxus hēt multos,

A a pudor

pudor & sapientia paucos . Cupit enim quisque carnis curam agere ad concupiscētiās , nec tam lubricum putat, quicquid id est, esse, quam non & sibi lucere tā eundem. Proinde nobis quoque male metuendum est, ne idem nos maneat exitus, qui apud Esaiam referitur: Et dixit, inquit, dominus , Pro eo quòd eleuatæ sunt filia Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decollabit dominus uerticem filiarum Sion, & crinem earum nudabit, & pro ornamento erit ignominia. In die illa auferet dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelides , & murenulas , & olfactoriola, & in aures, & annulos, & gēmas in fronte pendentes, & mutatoria, & pallia, & lintheamina , & acus, & specula, & sindones, & uittas, & theristra . Et erit pro suauis odore fœtor, & pro zona funiculus , & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali ciliatium. Bene ualebis amicissime Iacobe. Hoc etiam carmine impertias uelim Pyladen tuum Ioannem Regium Leydensium, regaliter ubique sese regentem, a reſtaq; ne lubrica quidem ætate uel latum unguem deflectentem. Quem ob id singulariter & miror & diligo. Quid enim illo syncerius, grauius, modestius? Quam peritus ille tum Græcè tum Hebraicè. Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet. O singularem eius animi magnitudinem, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert, rectèq; facti non ex populi sermone mercedem, sed factò petit.

Coloniæ, Cal. Feb. Anno

1539.

Ioan

IOANNES BERVS 3
Aemstelredamus.

HOs mirè lepidos & elegantes
Pubes ingeniosa uolue uersus,
Ter magnus tibi quos Erasmus ille
Ipso in flore statim uirentis æui,
Præceptore sub Hegio subactum
Prodens ingenium, suaue lusit.
At ne quid remorère lectitando,
Non magnis Scholijs quidem, sed aptis,
Ex æquo pius atq; literatus
Extricat remoras Alardus omneis.

AE G L O G A E S E Q U E N
tis argumentum per Alardum Aem
stelredamum.

Non sic scorpis improbus timendus,
Ut lasciuia, falax, & impudica
Vitanda est Galatæa, blanda Siren,
Dulci melle litum uenenum amarum,
Citra ligna focosue fax adurens,
Clangoremq; tubæ cruenta strages,
Præfens exitium, caput malorum:
Nimirum mulier parum modesta,
Inconstans, uaga, fraudulenta, nequam,
Passim sollicitans modo hunc, modo illum,
Quem contamine, affricetq; morbum,
Incautum illaqueet, trahatue captum:
Vocis mellifluæ suauitate
Demulcens rudiuculos ephæbos,
Thermas, templa, forum frequentitantes:
Cuiuis insidias ubiq; tendens
Insultansq; ferociensq; uictrix:

A 3 Blando

Æ G L O G Æ A R G.

Blando uipereum uomens ab ore
 Virus, quod stabulis lupus, quod imbres
 Lætis frugibus, & fatis adultis,
 Quod uenti arboribus, quod auster aruis,
 Hoc est fœmina lubricæ iuuentæ,
 Quod saluo nequeat pudore dici.
 Flagrans insatiabili furore,
 Et uæcors animi impotente morbo,
 Semper prurit & æstuat calore,
 Nunc lenocinijs rudes inescans,
 Nunc dans suauia dulciora melle
 Hyblæo, & Siculæ liquore cannæ:
 Nunc & lacteolis trahens papillis,
 Exertis modo uellicans lacertis,
 Non raro Magicis sacris adurens,
 Bt lætalia philtrea clam propinans,
 Occurrens meretricio decore,
 Tota purpureo nitens colore,
 Applaudensq; habitu uenustiori.
 Stillant labra quidem fauum atq; nectar.
 Ceruix lactea, molliusq; collum
 Est pluma, Syrium fragrans oliuum,
 Assatimq; scatens fragrantiarum:
 At postrema nimis quàm amara semper
 Sunt, ceu absynthium, acutaq; instar ensis:
 Qui cor mille trucidat enecatq;
 Vrgentum stimulis molestiarum.
 Ne fallare, sagaciter caueto.
 Disce unde immineat tibi periculum.
 Proin, si quid sapias, domi manebis,
 Aspectus fugies libidinosos.
 Ac nihil melius fuga putabis.
 Fraternè moneo fideliterq;
 Ne me forte putes fuisse falsum.

Hac

PER ALARD. AEMS. 7

Hac te Pamphilus Aegloga docebit.

ALIVD,

Vis tyrocinio cauere Tyro,
Quæ mox inficiunt rudem iuuentam,
Ætatem uiridemq; lubricamq;
Corrumpunt, uitiant, trahunt & afflant?
Aspectus fugito libidinosos.
Persuadeto tibi, quòd inde manat
Cunctorum pelagus molestiarum.
Hac quod Pamphilus Aegloga docebit,
Qua nil tersius elegantiusue.

ALIVD.

Vt bellè ualeas, alacriterq;
Degas, tutus ab omnibus periclis:
Aspectus fugito libidinosos.
Ex his colluuiæ scatet malorum,
Fel, absynthia, pœnitudo, amaror,
Sardois & amariora succis,
Morbus, pernities, lues, barathrum.
Persuasit pietas, ut hoc monerem,
Ne frustra monuisse suspicere,
Audi Pamphilon hoc idem docentem.

D. ERASMI

ROTERODAMI CARMEN BV.

colicum.

PAMPHILVS ^{epus.}



Amphilus insano Galatææ captus amore,
Stridenti tacita solus sub nocte cicuta,
Rumpebat longo rutilantia sidera quæstu.
Quem circum niuæ quondam unica cura
capellæ

Errant, & gelidis neglecti in uallibus agni.
Nec stabulis egisse pecus, nec culmina tecti,
Nec sera meminit deserta reuisere nocte.
Rore procul tantum madida proiectus in herba,
Crudeles querula meditatatur arundine flammæ.
Huc ades ô Galatæa mei medicina furoris.
Huc ades, extremum uel uisito funus amantis.
Pamphilus ecce uocat tuus ô Galatæa, peritq̃.
Et tu flammium duris in collibus Aetnæ,
Mollibus indignum refoues Polypomō in ulnis.
Ah tibi setosi ne candida colla lacerti,
Barba ah ne tenerū tibi conterat hispida mentū,
Huc ades ô Galatææ, hic uitrea flumina iuxta
Gramine florigero, uiridi recubabimus umbra.
Pamphile quid sterili iuuat indulgere labori?
Desine, non tanto certasse licebit amanti,
Et certasse tamen, quid tum, si uertice Cyclops
Sidera sublimi feriat? licet audiat ipse
Quantuscunq̃, nec illi cessero carmine: sola
Voce uelit, uelit arguta cecinisse cicuta.
Molle pecus niuei sunt & mihi uallibus agni.
Corpore Dametas, uultu mihi credit Amyntas.
Non mihi taurinis ceruix riget horrida pilis,
Pectora sunt nobis candentia, læuia nobis

Ora,

Ora, quid amplexus, quid amas infana aninos?
 Pamphile littus aras: crudelibus aspera ferne
 Auribus effusas refugit Galatæa quærelas. † Cer
 Quid speras, sed & esto uelit, uetat ille uolentem,
 Quin morere, & lōgos cōponito morte dolores.
 Extremum hoc Galatæa tui cape munus amanti.
 Extremum Galatæa uale, Galatæa ualetō.
 Sic ait, & pulsæ referabant carmina rupes.
 Omne nemus Galatæa sonat, sonat arduus æther.
 Tethys interea Tithonis ab æquore coniunx,
 Paulatim croceis subuecta iugalibus alto,
 Iam rarefcentem pellebat ab æthere noctem.
 Et iam Phœbeæ feruentia sidera rupis,
 Culmina uix dubio cœpère rubescere sole.
 Cinctus & ecce Damon uiridanti tempora myrto,
 Lætus agit teneras ad pascua nota capellas.
 Damon, pastorum quo non annosior alter,
 Cui iam depositis niteat frons nuda capillis,
 Qui iam ter centum cum Nestore cōputet annos,
 Vna uiro seræ requies & cura senectæ,
 Tortilis hirsuto pendebat fistula collo.
 Hic ubi roranti resupinum Pamphilon herba
 Aspicit, his miserum dictis compellat amantem,
 Quænam sub gelido tenuit Ioue Pampile causa † Dam
 Teq; pecusq; tuum: fluitas quia totus, & ecce
 Nocturno madet omne pecus sua uellera rore.
 Si uacat ô Siculum pastorum gloria Damon
 Vna, tibi nostros referam moriturus amores.
 Cum sol hesternus mediū transmensus Olympū,
 Vreret igniuomis arentes æstibus herbas,
 Atq; ego, ne quicquam noceat calor ille capellis,
 Formosi nemoris capto sitientibus umbram:
 Illic forte sacræ uideo sub tegmine lauri,
 Naiades Aonidesq; simul, Dryadesq; puellas

ERASMI

Ducere solennes cantu modulante choreas,
 Pan calamo, pulcher cithara ludebat Apollo,
 Omnis & in numeros agitabat brachia cœtus,
 Pulsabatq; humiles pedibus salientibus herbas.
 Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
 Ibat formosis formosior addita nymphis,
 Et gracilis toti extabat Galatæa coronæ.
 Digna deo facies, ipso dignus Ioue uultus,
 Non illi igniferi Cytherea parēs pueri, me
 Iudice, non illi certari pulchra Diana.
 Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
 Germanam quantum Phœben lux aurea Phœbi,
 Luciferum roseo quantum Phœbe aurea uultu,
 Cætera quàm radians præcellit Lucifer astra,
 Tam forma socias uincit Galatæa puellas.
 Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
 Cæsaries capitis fuluo crispantior auro,
 Vndiq; ceruicem circumuolitabat eburnam.
 Ardentes oculi, liquido caro læuior amne,
 Candidiorq; niue, superis rutilantior astris.
 Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
 Adfuit & medijs puer improbus ille chories
 Nudus membra, genasq;, leuisq;, & captus ocellis,
 Armatus facibus, leuibusq; uolatilibus alis.
 Adfuit, & medius medio stetit improbus orbe.
 Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
 Hic mihi fulgenti promens sua tela pharetra,
 Flammifera stupidum traiecit arundine pectus.
 Pectora traiecit, calidumq; per ossa cucurrit
 Virus, & in medias serpsit furor ille medullas.
 Scripsit, & insuetis caluerunt intima flammis.
 Hinc perij, atq; grauis cœpit mihi uita uideri.
 Et iam uirgineas me conspectante choreas,
 Ibat supremi spatia ultima Phœbus Olympi.

Quid

B V C O L I.

6

Quid facerem? iam tēpus erat, quo septa capellæ,
 Quo repetant pasti præsepia nota iuueni.
 Me dirus retinebat amor, sequor inuia saltus
 Perditus, & questu Galatæam sector inani,
 Et uano clamore uoco, fugit illa uocantem,
 Nil lachrymas miserata meas, nil flexa querelis,
 Cautibus Ismarijs immotior, aspide sæua
 Durior: aëriæ summis in rupibus Aetnæ
 Immani sese Polyphemi condidit antro.
 Hinc perij, atq; grauis cœpit mihi uita uideri.
 Tum redeo tandem, sequitur grex tristis euntem.
 Atq; hic, cum iam spes misero mihi nulla superfit,
 Mortē oro superos, certē aut (quod gratius esset)
 Improba permutent Galatææ pectora nostræ.

IN D. ERASMI ROTERODAMI
 carmen Bucolicum, Alardi Aemstelre-
 dami Scholia.

TNdolem egregij artificis in D. Erasmo Rote. perq̃
 adolescente, & adhuc Dauentriæ Alexandro He-
 gio preceptore utēte, submicuisse, ac scintillulis quibusdā sese, pdidisse, documento esse poterit uel Aegloga hæc Bucolica, in qua ludēda subacti ingenij sui specimen atq; poëtices gustum olim præbuit. Ecquid ni præbuit uero? Quando Poëticen appellamus, nō quōcunq; claudere uersum pedibus, sed rationem quæ sermoni dignitatem, grauitatem, iucunditatem, picturæ lenociniū ac (ut ita dixerim) diuinitatē, atq; ^{ὑποκειμένη} quendam adiungit. Atqui hæc facultas nulli contingit, nisi qui pectus omni disciplinarum genere expleuerit. Siquidē uerapœsis nihil aliud est, quàm ex oīm disciplinæ delitijs ac medullis cōdita placenta, aut (ut melius dicam) ex electissimis quibusq; flosculis compositū mellificiū. Porrò ut apicula ex flosculis succum

ERASMI

succum mellis colligit, cum alij non delectentur nisi colore & odore: Sic Philosophiæ studiosus, & ex Poë-
tis inuenit, quod ad bene uiuendum conducatur: cum alij tantū uoluptate deliniantur. Præclare ergo sciteq;
Horatius inquit,

Aut prodesse uolunt, aut delectare poëtae,
Aut simul & iucunda & idonea dicere uita.

Si quisq; est, qui utrumq; nosse concupiscit, is mihi ac-
curatius expendat uelim carmen hoc, in quo (ni fal-
lor) alludit ad Vergilianam Parmaceutriam, è secūdo
Theocriti Ydilio mutuata: id quod præter alia nō
parum multa testatur & ipse uersus intercalaris,

Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ,
Theocritus autem sic habet,

χ' ὡς ἴδον, ὡς ἑμάνην, ὡς μὲν ποδὶ θυμὸς ἰάφ' ἔην,

Id Vergilius Aegloga octaua ita reddidit, Vt uidi, ut
perij, ut me malus abstulit error. Ita uerò quia carmē
hoc inscribitur ἔρως, id est amor, par erat titulo respō-
dere personas quotq; πάμφιλῶ enim dicitur totus a-
mans, siue omnibus ex æquo amicus. Pamphilus
insano] Vergilius in Bucō. Nunc insanus amor duri
me Martis in armis, Tela inter media, atq; aduersos
detinet hostes. Stridenti tacita] Vergili. aegloga
tertia. Non tu in triuijs indocte solebas Stridenti mi-
serū stipula disperdere carmen? Galatææ captus]
γαλάτεια potest interpretari lactea, ἀπὸ τῆς γάλα, quod
sonat lac: quod paratum est colligere apud Ouidium
ex amatoria Polyphemi cantione. Candidior folio ni-
uei Galatæa ligustri. Fuit autem Galatæa filia Ne-
rei ac Doridis, ipsa dicente apud Ouidium libro Me-
tamor. 13. At mihi, cui pater est Nereus, quem cæ-
rula Doris Enixa est. Verg. in Palæmone,

Malo me Galatæa petit, lasciua puella,
Et fugit ad salices, & se cupit ante uideri.

Lege

Lege Genealogiam Ioannis Boccacij libro 7. cap. 16. Flāmas] Rodolph. Agricola libro de inuent. Dial. 2. cap. de similib. Vulgò itaq; iam usurpatur arde-
dere, quem amore &c. Plautus Menech. Quaquā tan-
git, amburit: si propius astas, Aestu calefacit. Plautus
Mercat. Ita mihi in pectore atq; in corde facit amor
incendium. Ni ex oculis lachrymæ descendant iam ar-
deat credo caput. Idem Cistella. Credo ego amorem
primum apud homines carnificinam commentum,
&c. Terentius Eunuch. Et amore ardeo, & prudens
& sciens uiuus, uidentq; pereo, nec quid agam scio.

Vel uisito] Eleganter usurpat uel pro saltem. Plau-
tus, Si non tangendi, uel nobis uidendi procul stanti-
bus copia detur. Terentius in Phormio. Postremo si
nullo alio pacto, uel fœnore. Et tu flammium] Aetna
mons est Siciliae, ab omnibus, aut fere omni-
bus poëtis ob igneos quos euomit globos decanta-
tus. Aulus Gellius libro. Noct. Atti. 17. cap. 10. citat
uersus aliquot Vergilianos de Aetna. Et Claudianus
item in raptu Proserpinæ: Aetna giganteos & cæt.

Polyphemon in ulnis] De Polyphemo cyclope
suauissime fabulatur Homerus libro Odyssæ nono.
Vergilius lib. Aene. 3. Ip̄m inter pecudes uasta se mo-
le mouentem Pastorem Poylphemum: & Ouidius li-
bro Metamorpho. decimotertio. Pamphile quid
sterili] Rodolphus Agricola libro tertio de inuent.
dialect. capite secundo, quot modis à dicente tractent
affectus. Corpore Damætas] ὁμοιοτέλευτον est, hoc
est, similiter desinens. Vergilius in Palæmone.

Non mihi taurinis] Antitheton est eorum, quæ
Pamphilus damnauit in riuiali suo Polyphemo. Ah
tibi setosi, & quæ sequuntur. Riget horrida pilis]
Non dubium quin legendum erit uillis, aut simile
quippiam: nam pilus priorem corripit, Caullus,
Prætor

A L A R D I

Catullus.

Prætor ne faceret pili cohortem.

Ouidius libr. de arte amandi primo,
Et nihil emineat, & sint sine sordibus ungues,
Inq; caua nullus stet tibi nare pilus.

Martialis,

Cui præstas culum, quem Labiene pilas?

Idem libro nono,

Quum depilatos Chreste culeos portes. Porro quod
legitur apud Horatium sub calcem satyræ primæ, Ne
me Crispinini scrinia lippi Cõpilasse putes, uerbum
non amplius addam. Id uerbi mutantur Latini $\alpha\pi\omicron$, $\pi\lambda\epsilon\omega$. Hinc oppillo, expilo, compilo.

Lucretius,

Fluctibus aduersis oppillare ostia contra.

Ouidius lib. Metamorph. 14. Expilatq; genis oculos.

Cerne] Fortasse legendum erit ceruix, aut quod
mihi magis probatur, cerne: ut uideatur allusum esse
ad prouerbium, Ceruo demissis auribus surdior. Nã
cerui (ut inquit Plinius) cum erexere aures, acerrimi
auditus: cum remisere, surdi.

Tethydis interea] In exemplari non autographo
quidem, utpote hæctenus etiamnum desiderato, cum
alijs aliquot æglogis, sed alio, apud Reynerum Sno-
yum à Gauda medicum, nuper admodum defunctum
reperito, apud quem inter puerilia poëmatia amplius
annos quadraginta delituit (Alioqui non dubium,
quin iam olim recognitum D. Erasmus ipse in aper-
tum protulisset, si quod adolescenti exciderat, habe-
re potuisset) scriptum erat, sed mendose, Tethydis in-
terea, unde nos sic restituimus, Tethys interea. Tethys
uxor Neptuni. Vergilius Georgicorum primo,
Teq; sibi generum Tethys emat omnibus undis. Oui-
dius libro Fast. quinto. Duxerat Oceanus quondam
Titanida

Titanda Tethym. Fuit & alia Thetis, de qua lege Fulgentium Placiadem libro tertio in fabula Pelei & Thetidis, & Ovidium libro Metamorphoseôn undecimo, Iuppiter æquoreæ Thetidis connubia uitat.

Tithonis ab æquore.] De Tithonio uide Homerum libro Iliados undecimo in ipso statim exordio, & Seruium in tertium Georgicorum. Illud leuicissimum, sed tamen indicandum, hic per enallagen siue *επίστροφον* uariatam esse declinationem. Lege priorem Cospia Comment. capite decimotertio. Horatius, Longa Tithonum minuit senectus. Et Ouidius item in Epistolis, Iamquæ fugatura Tithoni coniuge noctem, Præuius Auroræ Lucifer ortus erat.

Paulatim croceis] Elegans cum primis est maturini temporis periphrasis. Sic non uno in loco Vergilius, Et iam prima nouo spargebat lumine terras Tithoni croceum linquens Aurora cubile. Idem Aegloga octaua, Frigida uix cælo noctis decesserat umbra.

Subuecta iugalibus] Id est, equis. Stadius libro Thebaidos tertio, Soluerat Hesperij deuexo margine ponti Flagrantes Sol pronus equos. Ac mox, Laxant calidis humentia loris Pectora, pars meritos uertunt ad molle iugales Gramen. Ad eundem ferè modum scriptum est Matthæi uicesimoprimum, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium suhiugalis.

Et iam Phœbeæ feruentia sidera rupis.] Temporis descriptio est, quam *χρονογραφία* appellant.

Cinctus & ecce Damon uiridanti tempora.] *ἄκωρ* siue imago est. Cui iam depositis] *χαρακτηρισμός* est siue effictio. Qui iam trigenios] Nimirum sic erat in eo (cuius modo meminimus) exemplari. Verum uocem hæc, ut multis parum cognitam, parumque aridentem mutauimus in tercentū. Cum Nestore]

Homerus

Homerus lib. Iliados secundo. Et Ovidius 12. Meta.
Vixi annos bis centum, & nunc tertia uiuitur ætas.

Computet annos] Sunt qui putant computare pa-
rum esse Latinum. Iuuenalis tamen alicubi sic loqui-
tur, Facies tua cõputat annos. Supputare uerò magis
probatum Ouid. lib. de Pontoz. At reditus iam quisq;
suos amat, & sibi quid sit utile, sollicitis supputat arti-
culis. Quænam sub gelido tenuit Ioue.] Iuppiter
Ennio teste, is est planeta, quem Græci uocant æerem.
Theocritus in Batto, iam pluit, & claro nunc Iuppiter
æthere fulget. Cum sol hesternus] Sane quam ap-
posita temporis descriptio est. Sacra uideo sub te-
gmine lauri] Plinius lib. 15. ca. 30. Idem eadem Apola-
lini sacram esse restatur lib. 12. cap. 2. Vide Fulgentiũ
Placiadem in Mythologijs, in fabula de Lauro. Nai-
ades Aonidesq; simul Dryadesq;] Naiades, nymphæ
sunt fontium siue fluminũ. Aonides dictæ sunt à fon-
te Aone in Aonia regione Boetiæ, illis consecrato. Iu-
uenalis, Cupidus syluarum, aptusq; bibendis Fonti-
bus Aonidum. Dryades sunt denominatæ à quercubus:
Quis enim apud nos quercus dicitur. Pan calamo.]
Hunc deum Arcades uenerati sunt, non solum ut syl-
uarum, sed diuersæ materiæ Deũ. Vnde à Græcis παν
q; omne significat, appellatur. Pulcher cithara lu-
debat Apollo] Apollo præter alia epitheta dictus est
ἀγλαόμορφος, hoc est splendide formosus, formosq; splē-
didus, ac pulchrè uenustus.

T H E S I S, S I U E P O T I U S

communis locus de uitando pernicioso libidi-
nosq; aspectu.

Viderūt oculi, raperuerūt pectora flammæ] Cũ
lubricæ ætati omnia etiam tuta sint timenda,
certe imprimis illi cauendum ab impudico li-
bidinosq; aspectu, unde scetet omnis uitiorum collu-
uies.

uies. Scripsit om̄iū hoc planissime Propheta Hieremi
 as capite 9. Quia ascendit mors per fenestras nostras,
 ingressa est domos nostras, disperdere paruulos defo-
 ris, iuuenes de plateis. Testatur idem quoq̄ in Threnis
 cap. 3. Oculus meus deprēdatus est animam meam. E-
 iusdem generis est & illud, Nec sequantur cogitatiōes
 suas, & oculos per res uarias fornicantes, Numeri 15.
 Huic proximum est illud, Auerte faciem tuam à muli-
 ere compta, & ne circūspicias speciem alienam. Pro-
 pter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc con-
 cupiscencia quasi ignis exardescit, Eccle. 9. Et idē, Vir-
 ginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore
 eius. Eodem spectant & sequētes parēneses: Ne passim
 uagentur oculi, sed rectā te præcurrant, Prouer. 4. Co-
 ram cordato est sapiētia, at oculi stultorum passim ua-
 gantur. Prouer. 13. Eccl. 1. Non satiatur oculus uidē-
 do. Eccl. 9. Ne respicias mulierem multiuolam, ne for-
 te incidās in laqueos illius. Eccl. 14. Abominatio est co-
 ram domino defigens oculum. Iob. 13. Et si oculis cō-
 sensit cor meum. Prouer. 1. Infernus & interitus nō sa-
 tiātur, similiter oculi hominum insatiabiles sunt. Me-
 mento quoniam malus est oculus nequā, Nequius o-
 culo quid creatum est? Eccl. 3. 1. Pepigi fœdus cū ocu-
 lis meis, ut ne cogitarem quidem de uirgine. Iob. 3. 1.
 Quorsum attinet plura hoc genus conuerrere, cū to-
 ta undique scripturascateat huiuscemodi testimonijs?
 Porro autē non ab re fuerit hic referre aliquot para-
 digmata siue exēpla, præceptis enim aures fere imbu-
 untur, exempla docent oculos. Antiochus tertius quū
 Dianæ sacerdotem uidisset supra modum elegāti for-
 ma, continuo soluit Epheso, ueritus ne uis amoris ali-
 quid illum facere compelleret, quod fas non esset. T.
 Liuius 3. decad. lib. 6. Alexander cum Darij filias habe-
 ret captiuas, demissis oculis eas salutabat, idēq̄ rarō, si-

B bi me

T H E S I S

bi metuens ab illarum insigni forma. Apud familia-
 res autem dicere solet, Dolores oculorum sunt Persi-
 cæ puellæ. Item: Turpe esse qui uiros uicissent, à mu-
 lieribus superari. C. Sulpitius Gallus uxorem repudi-
 auit, quod aperto capite fuisset foris, Lex, inquiens, ti-
 bi meos unius præfinit oculos, quibus formam tuam
 approbes, his ornamenta comparato, his esto specios-
 sa: alijs uelle uideri formotam, in suspitione & in cri-
 mine hæreat necesse est. Diogenes animaduertens Olim-
 pyonicem quendam oculos defigere in scortum, adeo
 ut præteritum capite reflexo intueretur, Ecce, inquit,
 ut aries Martius à puella publica obtorto collo uictus
 abducitur. Ridiculum existimabat, certare cum electis
 uiris, & à uili puella ueluti captum trahi sine funibus.
 Aullus Gellius libro 6. capite 8. Appion Græcus ho-
 mo qui πολυίσωρ est appellatus, facili atq; alacri faciūdia
 fuit: is cum de Alexandri regis laudibus scriberet, Vi-
 cti, inquit, hostis uxorem facie inclyta mulierem ue-
 rat in conspectum suum deduci, ut eam ne oculis suis
 quidem contingeret. Valerius Maximus lib. 4. de Sci-
 pione. Quartū & uicesimū annū agēs Scipio, cū in Hi-
 spania, Carthagine oppressa maioris Carthaginis ca-
 piendæ supersisset auspicia, multosq; obsides, q̄s in ea urbe
 Pœni clausos habuerāt, in sui potestatem redegisset, exi-
 mię inter eos formę uirginē etatis adultę, & cœlebs &
 uictor postquam comperit illustri loco inter Celtibe-
 ros natam nobilissimoq; gentis eius Indibili despon-
 satam, accersitis parentibus & sponso inuiolatam tra-
 didit, aurum quoq; quod pro redemptione puellæ al-
 latum erat summæ dotis adiecit. Qua continentia ac
 munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum ani-
 mos Romanis applicando, meritis eius gratiam debi-
 tam retulit. Idem de Pericle libro eodem, Ac ne eiusdē
 laudis commemorationem externis inuideamus, Pe-
 ricles

ricles Atheniensium princeps, cum Tragœdiarum scriptorem Sophoclem in prætura collegam haberet, ac is publico officio unâ districtus, pueri ingenui prætereuntis formam impensioribus uerbis laudasset, intemperantiam eius increpitans, dixit: Prætoris non solum manus à pecuniæ lucro, sed etiam oculos à libidinoso aspectu continentes esse debere. Terent. Phor.

Interea dum sedemus illic, interuenit
 Adolescens quidam lachrymans: nos mirarier,
 Rogamus quid sit, nunquã æquè, inquit, ac modo
 Paup̄tas mihi onus uisum est, & miseræ & graue,
 Modo quandam uidi uirginem huic uicinię
 Miseram suam matrem lamentari mortuam:
 Ea sita erat ex aduerso, neq; illi beneuolens,
 Neq; notus, neq; cognatus, extra unam aniculam
 Quisq; aderat, qui adiutaret funus, miser tñm est.
 Virgo ipsa facie egrcgia, quid uerbis opus est?
 Commorat omnes nos. ibi continuo Antipho,
 Voltis ne eamus uisere? alius censeo,
 Eamus, duc nos fodes, imus, uenimus:
 Vidimus, uirgo pulchra, & quò magis diceres
 Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem:
 Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
 Lachrymæ, uestitus turpis, ut ni uis boni
 In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.
 Ille qui illam amabat fidicinam, tantummodo
 Satis inquit scitast, noster uero. Da. iam scio
 Amare cœpit. &c.

Idē Eunucho: Dum apparatus, uirgo in cōclauī sedet
 Suspectās tabulã quãdã pictã, ubi inerat pictura hæc,
 Quo pacto Danaę misisse aiūt quondam in gremium
 imbrem aureum:

Egomet q̄q; id spectare cœpi, & q̄a cōsimilē luserat
 Iã olī ille ludū, imp̄dio magis anim⁹ gaudebat mihi

B 2 Deum

T H E S I S

Deum sese in hominem cōuertisse, atq; per alienas tē-
gulas Venisse clanculum per impluuium, fucum factū
mulieri. Ad quem deum? qui templa cæli summa so-
nitu concutit. Ego homuncio hoc non facerē? ego ue-
rò feci ac lubens. Homerus lib. Iliados tertio, Sedebāt
autem circa Priamum quos dixi principes, & inter se
colloquebantur in alta turri, similes cicadis, quæ opa-
cis arborum ramis insidentes suauem illum cantū ex-
ercent: hi uerò uadentem Helenam in turrin conspexe-
runt, alius ad alium supressa uoce dicebat: Profecto nō
indignum est Troianos Græcosq; tot mala, tanto tem-
poris spatio sustinere, ob hanc faciem quæ prorsus nō
humana, sed immortalis cuiusdam deæ uidetur. Cæ-
terum etsi tam diuina specie mulier est, tamen eam sa-
tius erit ad Penates suos remittere, quàm retinere, ne
nobis postea sit liberisq; nostris causa calamitatis. Ari-
stoteles lib. Ethicorum 2. In uniuersis autem cauendū
est à uoluptate, non enim incorrupti iudicamus de i-
psa. Vt ergo Troianorum senes erga Helenam sese ha-
buerunt: sic & ad uoluptatem, in omnibusq; illorum
dicere uocem oportet: hoc enim pacto ipsam remouē-
tes à nobis minus peccabimus. Aristoteles Politicorū
8. capite 38. Cum uerò dicere quicquam turpe interdi-
ximus, clarum est, quia & aspicere, aut picturas, aut a-
ctus deformes prohibemus. Quintilianus libro 7. ca.
4. Illud quoque est ex relatione ad aliquid, quod non
huius rei gratia dictum uidetur amplificationis gen^o.
Non putant Troiani principes, Graios Troianosq; p-
pter Helenæ speciem tot mala, tanto temporis spatio
sustinere, quænam igitur illa forma credenda est? Nō
enim hoc dicit Paris, qui eam rapuit, non iuuenis ali-
quis, aut unus è uulgo, sed senes, & prudentissimi, &
Priamo assidentes. Verum & ipse decēnij bello exhau-
stus, amissis tot liberis imminēte summo discrimine,

cui

eui faciem illam, ex qua tot lachrymarum origo fluxisset, inuisam atque abominandam esse oportebat, & audit hæc, & eam filiam appellans iuxta se locat & excusat etiam, atq; sibi esse malorum causam negat. Nec mihi uidetur in Symposio Plato, cum Alcibiaden confitentem de se quid de Socrate pati uoluerit, narrat, ut illum culparet, hæc tradidisse, sed ut Socratis inuictã continentiam ostenderet, quæ corrumpi speciosissimi hominis tam obuia uoluptate non posset. Verũ quid opus hæc ex gentium monumentis repetere, quum Biblia sacra tam graphicè, tamq; copiosè nobis hæc passim depinxerint? Principio de Heua, Gene. 3. Tum de Dina filia Iacob, Gene. 34. Deinde de hera siue dña Ioseph, Gene. tricesimonono. Præterea de Dauide contẽplante Bethsabee, nimisq; pulchram mulierem sese lauantem, 2. Reg. 10. Post hæc de Sampsonẽ Iud. 14. & de Holoferne Iudith. 10. Ad extremum de presbyteris Susannę Danie. 13. At quorsum ego uetera conquiro, cum mihi liceat uti præsentibus exemplis atq; uisus à quorum recensione, quia prope quotidie ubiq; contingunt ob id breuitatis studio super sedemus. Illud haudquaquam prætereundum silentio: Vt frustra clauduntur portæ ciuitatis, si una relinquatur aperta, per quam hostes irrumpant: Ita non satis est in cæteris temperatum esse, si uisus pateat perniciosi aspectibus. Vt diligentius seruanda est ea porta, quã uia sit ad regiam: Ita cautius seruandus est uisus, quod maxime potest uel iuuare uel lædere. Sed operæ precium est audire D. Hieronymum libro aduersus Iouinianum secundo. Per quinque sensus quasi per quasdam fenestras, uitiorum ad animam introitus est. Nõ potest ante metropolis & arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit hostilis exercitus. Horum perturbationibus anima prægrauatur, & capitur aspectu, auditu, or-

T H E S I S

odoratu, sapore, tactu. Si circensibus quispiam delectetur, si athletarum certamine, si mobilitate histriõum, si formis mulierum, splendore gemmarum, uestium, metallorum, & cæteris huiuscemodi, per oculorum fenestras animæ capta libertas est: & impletur illud propheticũ: Mors intravit per fenestras uestras. Rursum auditus uario organorum cantu, & uocum inflexionibus delinitur & carmine poëtarum, & comœdiarũ mimorumq; urbanitatib. & strophis, & quicquid per aures introiens uirilitem mentis effœminat. Odoris autem suauitas, & diuersa thymiamata, & amomum, & cyphi œnanthe, muscus, & peregrini muris pellicula, q; dissolutis & amatoribus conueniat, nemo nisi dissolutus negat. Porro ciborum auiditas, quod auaritiæ mater fit, & animum quasi quibusdam cõpedibus degauatum in terra teneat, quis ignorat? Propter breuem gulæ uoluptatem terræ lustrantur & maria, & ut mulsum uinum, perniciosusq; cibus, fauces nostras trãseat, totius uitæ opera desudamus. Tactus autem alienorum corporum, & fœminarum ardentior appetitus uicinus insanitæ est. Ob hunc sensum cupimus, irascimur, gestimus, inuidemus, emulamur, solliciti sumus, & expleta uoluptate per quandam plenitudinem rursus accendimur, quærimusq; facere, quod cum fecerimus iterum pœniteamus. Igitur cum per has portas quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis intrauerint, ubi erit libertas? ubi fortitudo eius, ubi de deo cogitatio? maximè cum tactus depingat sibi etiam preteritas uoluptates, & recordatione uitiorum cogat animam compati, & quodãmodo exercere quod agit. Hieronymus in cõmentarijs ad Titũ, Quõ itaq; mäsuetudo, patiëntia, sobrietas, moderatio, abstinentia lucri, hospitalitas q; & benignitas p̄cipue debent esse in episcopo, & inter cunctos laicos eminentia: sic
& ca

& castitas propria & (ut ita dixerim) pudicitia sacerdotalis, ut non solum ab opere se immundo abstinereat, sed etiam à iactu oculi & cogitationis errore, mens Christi corpus confectura fit. Hieronymus in Ezechiellem, Minoribus enim maiora monstrantur, uultus & oculis dissimulari non potest, dum luxuriosa & lasciuua mens lucet in facie, & secreta cordis motu corporis & gestibus indicantur. Vnde, Heu quàm difficile est crimen non prodere uultu? Idem in psalmo 118. Auerte oculos tuos, ne uideant uanitatem.

Ambrosius in eundem psalmum, Cum uideris aliena monilia, aurum, argentum, & concupieris ut extorqueas, intrauit mors per fenestram: claude ergo hanc fenestram cum uideris alienæ mulieris pulchritudinem, ne mors possit intrare.

Gregorius libro Moral. uicesimo primo, Species formæ cordi semel per oculos illigata, uix magni lustaminis manus soluit.

Idem alicubi, Ne, inquit, in lubrica cogitatione uerseremur, non debemus intueri quod non licet concupisci. Ut enim mens in cogitatione seruetur à lasciuua uoluptatis suæ, seruandi sunt & premendi oculi, quasi quidam raptores ad culpam.

Cyprianus de singula cleric. Ex improviso uel trāseunter ad horam fœmineus aspectus occurrens, uelut sagittas alienis oculis iactat.

Cyprianus Tractatu de habitu uirgineo, Cæterum si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter oculos in te iuuentutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomitem succendas, ut etsi ipsa non pereas, alias tamen perdas, & uelut gladium te & uenum præbeas, excusari non potes quasi mente casta & pudica.

B 4 Augusti

T H E S I S

August. de honestate mulierum, cap. 5. Quomodo si aliquis carbonem apprehenderit, si cito eos proiecerit nihil ei nocebunt, si uero diutius tenere uoluerit, sine uulnere abire non poterit. Ita qui ad concupiscendum oculo defixerit intuitum, & libidinis malum in corde suscipiens, morari in corde suo permiserit, excutere à se sine animæ plaga non poterit. Ideo iugiter clamemus cum propheta, Oculi mei semper ad dñm.

Ioannes Chrysosto. de pœnitentia sermo. 8. Tu uero quum mulierem uideris formosam, splendentem oculis, ornatam stola, libidine titillatam, desiderantem uisum, respice desuper stantem coronam, quò tale spectaculum prætereas. Vidisti conseruum, dominum cõsidera, atq; omnino morbum curabis. Si enim qui disciplina pædagogum sequuntur, non flectuntur circum, non uariè inhiant, non studio desistunt: Multò magis tibi, qui Christum quasi præsentem cogitationibus inueneris, nihil horum fuerit. Chrysosto. sermo in Oziam. Sicut ignis mox ut calamum apprehenderit, nõ expectans aliquo tempore, attractam ad se materiam sua flamma accendit: Ita & concupiscentiæ ignis ut primum formositatem & uenustatem uisu attigerit, animam statim accendit. Ibidẽ, Quemadmodum cerua telum corpore fixum ferens, licet uenatorum manus effugerit, perit tamen tandem: Sic & anima telo concupiscentiæ ob intemperantiã & curiosum uisum saucia, etsi discedat, perit tamen. Chrysosto. sermone de Ozia. Sicut nauclerus in portu naufragium faciens ne triquam assequitur ueniam: Ita uir post nuptialem portum aliena coniugia inuadens, uel mulierem alienam curiosius spectans nullam habebit defensionem, tam apud deum quàm apud homines, etiamsi sexcenties naturæ uoluptatem prætexat. Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum. Matrem tuam ita uide, ne per
illam

illam alias uidere coneris, quarum uultus cordi tuo hæreant; & tacitum uiuat sub pectore uulnus.

Ambrosius in Psalmum, Beati immaculati, uersu Qui timent te uidebunt me. &c. Idem in adhortatione ad uirgines De Ethrusco iuvene. Augustinus libr. quæstion. utriusq; Test. 115. Augustinus & adducitur 32. quæst. 5. cap. Nec solo: Nec dicatis uos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos: q̄a impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Ambrosius lib. Off. primo. Adulterium non solum facti coluuiione, sed aspectus intentione committitur. Quid? q̄ adeo custodiendus est aspectus, ut castus ne intueri quidē debebat obscenas picturas. Augu. de ciuit. li. 2. cap. 7. Hinc apud Terentium flagitiosus adolescēs spectat tabulam quandam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc: Iouem quo pacto Danae misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum: atq; ab hac tanta autoritate adhibet patrociniū turpitudini suæ, cum in ea incitat mutari deū. At quem deum inquit? Qui templa cœli summa sonitu concutit. Ego homuncio non fecerem id? Ego uero illud feci ac lubens. Ibi dem cap. 12. Et dignum fuit ut Teren. uester flagitio Iouis Opt. Max. adolescentum nequitiam concitaret. Idem. lib. confes. 1. cap. ultimo: Ita uero non cognosceremus uerba hæc, imbrem aureum, & fucum, & templa cœli, & alia uerba, quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terent. induceret nequam adolescentem, proponentem sibi Iouem ad exemplum stupri, dum spectat tabulam quandam pictam in pariete ubi inerat pictura hæc: Iouem quo pacto Danae misisse aiunt in gremiū imbrem aureum, fucum factum mulieri. Et uide quomodo se concitat ad libidinem quasi cœlesti magisterio. At quem deum inquit? Qui templa cœli summa sonitu concutit. Ego homuncio id non facerem? Ego

B s uero

A L A R D I

uero illud sponte feci ac lubens. Propertius lib. 2.

Quæ manus obscenas depinxit prima tabellas,

Et posuit casta turpia uisa domo:

Illam puellarum ingenuos corrupit ocellos,

Nequitiaq; suæ noluit esse rudes.

Ioannes Chrysostomus homilia 17. ex cap. Matth. 5.

Non enim passim dixit, qui concupiuerit: potest nanque etiam aliquis inter secreta montium residens concupiscere, sed qui, inquit, uiderit mulierem ad concupiscendum, id est qui concupiscentiam uidendi curiositate collegerit, quiq; nullo omnino cogente, quiescenti animæ feram subito immiserit. Hoc enim non iam naturæ est, sed propriæ omnino desidæ: quod certe olim etiam ueteri lege prohibetur: Noli, inquit, addiscere pulchritudinem alienã. Deinde ne quis diceret, Quid autem, & si inspiciam, nec tamen capiar? Cohibuit aspectum, ne huiusmodi licentia fidens etiam in peccatum quandoq; corrueres. Quid autem, inquit si uideo ad concupiscendum, sed tamen turpe nil egero? Et sic quidem iam in adulterorum parte numeraris. Pronunciauit enim lator legis, nec amplius aliquid huic oportet inquiri. Deinde semel quidem, & secundo & tertio sic uidens possis animum continere: Si uero frequenter id feceris, fornacemq; istam sponte succendens, profecto capieris. Nõ enim ex natura humana lubricus consistis. Sicut enim nos cum gladium teneri uideamus à puero, etiam si nondum eum uulneratum inde esse cernamus, uerberamus tamen ac sepe minantes denunciamus, nequando illum rursus attingat: ita etiam deus inuerecundum coërcet aspectum, ne quandoq; in ipsam quoq; incidat actionem. Tertullia. de uirginibus uelandis, Iudicabunt nos Arabiæ feminae ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoq; ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ sint dimidiam

dian
Mau
Tert
le in
mo,
à cu
cuiu
min
nota
lexa
lum
pud
aud
adu
and
mu
quo
roa
feri
na
rem
din
tiu
Ex
Hi
Fer

oct
bi
us
tris
Mu
Vu
Ve

diam frui lucem, quam totam faciem profiteri.

Mauult fœmina uidere quam uideri.

Tertullianus lib. de cultu fœminarum. Perit enim ille in tua forma, si concupierit, & admisit iam in animo, quod concupiuit, & facta es tu gladius illi, ut etsi à culpa uaces, ab inuidia nō liberaberis. Vt quū in aliquius agro latrocinium gestum est, crimē quidem dominum non constringit, dum res tamen ex ignominia notatur, ipse quoque infamia aspergitur. Amianus Alexand. episcopus, Marci Euangelistæ discipulus oculum ipse sibi eruit, quod transeuntes fœminas parum pudicè aspexisset. 2. Petri 2. de Lot, Aspectu enim & auditu iustus erat. Ibidem, Oculos habentes plenos adulterij, & qui à peccando cessare nesciunt. Sed redeundum nobis ex diuerticulo. Hæc aliàs fufius agemus in libello de custodia quinque sensuum: nunc itaque quod superest persequamur. Ibat formosis] Ciceroad Herennium libr. 4. de imagine. Non illi igniferi] Periphrasis est Veneris. Pulchra Diana] Diana Iouis filia ex Latona matre] ob uirginitatis amorem fertur hominum consortia fugisse, & ut se à libidinis æstu liberaret, uenando incolebat syluas ac montium saltus, Vergilius lib. Aenei. 1.

Exercet Diana choros, quam mille sequentes,

Hinc atq; hinc glomorantur heroades: illa pharetrā,
Fert humero, gradiensq; deas supereminet omneis.

Germanam quantum] Statius libro Thebaidos octauo, Tempus erat, iunctos cum sorori ignea Phœbi Sentit equos & cætera. Quantum Phœbe] Silius Ital. libro decimo sexto, Vt Phœbe flagellas, ut fratris lumina Phœben Exuperant. Viderunt oculi] Musæus est oculus præceps, animi uia, labitur inde Vulnus, in mentem coniectu fertur ocelli. Michaël Verinus, Lumina p̄dantur mentem, pariuntq; ruinam

Lumina

A L A R D I

Lumina: nequitia, si sapias, obde fores. Iacobus Sanna-
farius de Orpheo respicienti,

Hoc fuit, infelix & adhuc heu respicis Orpheu,

Quod te, quod miseram perdidit Eurydicen?

γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάσουσι βέλλει .i. Mulieris oculus spi-
culum iuuenibus est. Luciferum roseo] Plinius li-
bro. 2. cap. 8. Infra solem ambit ingens sydus appella-
tum Veneris, alterno meatu uagum, ipsisq; cognomi-
nibus æmulum solis & lunæ, præueniens quippe &
ante matutinum exoriens Luciferum nomen accipit,
ut sol alter diemq; maturans: contra ab occasu refula-
gens nuncupatur uesper, ut prorogās lucem, uicemq;
lucē lunæ reddens. Silius Ital. Qualis ubi Oceani reno-
uatus Lucifer unda laudatur Veneri, & certat maiori-
bus astris. 2. Petri 1. Donec dies illucescat, & Lucifer
exoriatur in cordibus uestris. Hunc Fulgentius Pla-
libro 2. Auriferum uocat. Plauto in Amphitrione, ue-
sperugo appellatur stella, quæ Græcis Hesperus: unde
illud, ἠέριππος ὁ κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσασι ὄσσηρ .i. Hesperus
in cælo lucet iucundior ignis. Catullus, Hespere qui
cælo lucet iucundior ignis. Cæsaries capitis] Vide
Herenniana Rhetorica de effictione. Candidiorq;
niue] Ouidius lib. Metamor. 13.

Candidior folio niuei Galatæa ligustri,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior uitro, tenero lasciuior hædo,
Læuior assiduo detritis æquore conchis,
Solibus hybernis, æstiuua gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior uua,
Mollior & cygni plumis & lacte coacto,
Et si non fugias, riguo formosior horto.

Puer improbus] Propertius lib. 2.

Quicumq; ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,

Nonne

Nonne putas miras hunc habuisse manus?
 Hic primum uidit sine sensu uiuere amantes,
 Et leuibus curis magna perire bona.
 Idem non frustra uentosas addidit alas,
 Fecit & humano corde uolare Deum.
 Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
 Nostraq; non ullis permanet aura locis.
 Et merito hamatis manus est armata sagittis,
 Et pharetra ex humero Gnosia utroq; iacet.
 Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
 Nec quisquam ex illo uulnere sanus abit
 Marullus Tarchaniora:

Quis puer hic? Veneris, Plene que causa pharetre?
 Non bene praeuisus certa q; arma parat.
 Cur sine ueste deus? Simplex puer odit opertum.
 Vnde puer? pueros q; facit ipse senes,
 Quis pennas humeris dedit? Inconstantia. Quare
 Nulla deo frons est? Signa inimica fugit.
 Quae fors eripuit lucem? Immoderata libido.
 Cur macies? Vigilis cura, dolorq; facit.
 Quis caecum praedit? Ebrietas, sopor, otia, luxus.
 Qui comites? Rixae, bella, odia, opprobrium.
 Qui caelo dignati? Homines. Quae causa coegit?
 Mitior autore est credita culpa deo.
 Heu curuum genus, & ueri corda inscia: quod ius
 Fasq; scelus miseri si scelere abluimus?

Alexis.

καὶ μοι δοκῶσιν ἀγνοεῖν οἱ ζωγράφοι
 ὅτι ἐρωταὶ συντομώτατοι γ' εἰπὴν ὅσοι
 ἢ δαίμων ὁ τῆτος ποιῆσιν εἰκόνας:
 ἐστὶν γὰρ οὔτε θῆλυς οὔτ' ἀρσεν, πάλιν
 οὔτε θεός, οὔτε ἄνθρωπος, οὔτ' ἀβέλτερος
 οὔτ' ἀνθὶς ἐμφρων, ἀλλὰ συνεννημένον
 πανταγόνον ἐν ἐνὶ τύπῳ.

Minuta

A L A R D I

Minuta quædam (ut ait Phædon) animalia quæ mors
dent, non sentiuntur, adeo tenuis illis & fallens in pe-
riculum uis est. tumor indicat morsum, ut in ipso tu-
more nullū uulnus appareat. Idē nobis in aspectu mu-
lierum formosarum eueniet, non deprehēdimus, quæ
admodum aut quomodo nobis obsint, obfuisse depre-
hendimus, Sic ferè Seneca epistola 95.

Strozius Filius in Amorem furem,
Dum Veneris puer alueolos furatur Hymeti,
Furanti digitum cuspide fixit apis.

Indoluit grauiter, pueriliaq; ora rigauit
Flectibus, & matri spicula quæstus, ait
Vnde hæ tantillis uires animantibus? unde
Exili possunt lædere aculeolo?

Cui dea subridens inquit, non tu quoq; nate
Corpore non magno uulnera magna facis.

Lucianus in dialogo, qui inscribitur Cupido. Seneca
in Hippolyto. Plautus in Cistellaria. Martialis
in Quintum,

Thaida Quintus amat: quæ Thaida? Thaida Iuscæ:
Vnum oculum Thais, non habet ille duos.

Aeneas Siluius ad Carolum,
Vidimus effigiem lasciuæ nuper Amoris
Quæ nimium mētem mouit imago meam, & quæ se-
quuntur. Ex Anacreonte,

Cum puer tento metuendus arcu,
Gnosfa insignisq; humerum pharetra,
Igne furtiuo mea nil uerentis.

Corda subiuit:
Mox & admissus teneris medullis,
Regnat in capta uelut arce uictor,
Meq; inassuetos adigit rebellem
Mandere frenos.

Pectora traiecit] Anadiplosis est. Calidusq; per
ossa

ossa cucurrit] Vergilius libro Aenei. 8. Ille repente
 Accepit solitam flammam, notusq; medullas Intrauit
 calor, & calefacta per ossa cucurrit. Ibat supremi]
 Silius Italicus libr. 11. Iamq; diem ad metas defessus
 Phœbus Olympo Impellebat equis. Similis uesperti
 ni temporis periphraſis eſt & apud Ouidium in. 4.
 Metamor. Iamq; dies exactus erat, tempusq; ſubibat,
 Quod tu nec tenebras nec poſſes dicere lucem, Sed cū
 luce tamen dubiæ confinia noctis. Cautibus Iſma
 rijs] Ouidius libro Metamor. 13.

Sæuior indo mitis eadem Galatæa iuencis,
 Purior annoſa quercu, fallacior undis,
 Lentior & ſalicis uirgis, & uitibus albis,
 His immobilior ſcopulis, uiolentior amne,
 Laudato pauone ſuperbior, acrior igni,
 Aſperior tribulis, fœta truculentior urſa,
 Surdior æquoribus, calcato immitior hydro.

Iſmarus mons eſt Thraciæ Seruio teſte in lib. Aen. 10.
 Inde Iſmarius. Ouidius in primo epistoſularum, Dictus
 eſt Iſmarijs iſſe per agmē equis. Hinc perij, atq; gra
 uis] Vide ut eleganter exprimit affectus amore perea
 unis, idēq; eo potiffimū noīe, q̄ uidit ſine ueſte Dianā.

Me dirus retinebat amor] Viranda eſt improba
 Siren, ut quæ blanditur cauda intranti, morſuq; fati
 gat tentantem reditum. Hoc nimirū eſt, quod ſapiens
 ille Hebræus dicit, Stillans fauus eſt ſcorti os, & mola
 lius eſt quam oleum collū eius, uerū poſtrema amara
 uelut abſynthium & acuta ceu gladius. Claudianus,
 Velut paſtoris in ora Commotæ glomerantur apes,
 per dulcia raptu Mella trahit, pēnaſq; cient, & ſpicula
 tendunt. Sequitur grex triftis euntē] Idem amor
 exitio pecori eſt pecoriſq; magiſtro. Cum iam ſpes
 miſero mihi nulla ſuperſit] Ouid. de reme. amor. Res
 age tutus eris. Crates Thebanus. Amore, inquit, ſedat
 fames

A L A R D I

fames, Sin minus, tempus. Eo uerò si uti non uales, laqueus. Id quidam non inelegãter sic Phalæcio expressit, Sedat aligerum fames Amorem. Hoc si non superat, domabit ætas. Quæ si non rapidum fugabit ignẽ, Nodatum superest medela collũ. Seneca Epistola 70. Quemadmodum ei, qui amorem exuere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti corporis, nihil enim facilius quàm amor recrudescit. Itã qui deponere uult desideria rerum omnium, qua cupiditate flagrauit, & oculos & aures ab his quæ reliquit, auerrat.

Improba permutent.] Horatius ode 33. lib. Car. Sic uisum Veneri, cui placet impares Formas atq; animos sub iuga ahenæ Sæuo mittere cum ioco.

Faunus ad nymphas.

Dicite cur nostros nymphæ fugiatis amores?

Quid Faunus, quo sic despiciatur habet?

Cornua si mihi sunt, sunt & sua cornua Baccho,

Inq; suos reuocat Cressa puella sinus.

Igneæ si frons est, an non frons ignea Phœbo est?

Hoc tamen est Clymene facta parente parens.

Barba riget suffusa genis? dedit improba sæpe

Oscula barbato Dæjanira uiro.

Intonso densoq; tegor præcordia uillo?

Nil ideo Marti est Ilia quæsta suo.

Capripedem arguitis? quid claudo turpius? at tu

Nupsisti claudo Cypria pulchra Deo.

Deniq; si qua meæ pars est non bella figuræ,

Exemplum à cælo quod capiatis habet.

Sed uos nimirum mortalia facta secutæ,

(Omnis quando auro conciliatur amor)

Pastorum & pecoris tenui custodie repulso,

Quæritis à magnis numera magna deis.

F I N I S.

smi Roterodami, per Alardum Aemstelr.

Hic hic siste precor gradum uiator,
Hoc sub marmore clausus est Erasmus.
Quo cum rara iacent sepulta dona:

Felix ingenium, polita uena,
In dicendo Venus peculiaris,
Conditus sale sermo non amaro,
Dulci lingua triplex fluens lepore,
Pytho flexamina, & medulla suadae.
Tum solertia rebus in gerendis
Multarum experientiaque rerum,
Quas longo sibi comparauit usu.
Mirus candor, amabilesque mores,
Prudens simplicitas, ubique quiduis
Flectens in melius modo ferendum.
Insignis pietas, probata uita,
Conatusque pijs pijs iuuandi
Addictos studijs, & exerendi
Virae dogmata uera Christianae.
Quo spectat scopus omnium laborum,
Quos mox a teneris obiuit annis,
Vsq; in decrepitam ferè senectam

A L I V D.

Si tot dotibus auctus, atque tanta
Nactus commoda, quanta forte nunquam
Cui natura dabit, dabit Minerva:
Si constans adamantinumque pectus,
Quid quamuis solidumque floridumque
Mansurum inuiolabile aut perenne
Credas? unicus ille quando Phoenix
Nunc heu magnus Erasmus hic quiescit.
Luctus perpetuus Theologorum,
Aeterni gemitusque lachrymaeque
Cultorum studij politoris.

C


Quem

E P I T A P H I V M

Quem non tristem obitu tuo relinquis?
Qui percussus amore literarum est.
Qui puro niuæ decore mentis
Excellis nitidissimos olores.
Quiq; multijuga eruditione,
Necnon integritate singulari
Nulli cedis habesue comparandum.

E P I T A P H I V M S I V E P O T I V S E N C O .

mion, illustrissimæ Dominæ, D. Magdalenæ
Vuerdēburgeñ. meritiss. Hecmondēsiū
Comitissæ, autore Alar. Aemst.



Hic dormit illa nobilis Germaniæ
Virago, coniunx Præsidis Hollandiæ
Ioannis, Hæmmondensium Comitis, uiri

Docte pij, pieq; docti ac candidi.

Illustriores (quos habet Germania)

Proauos auosq; nacta, præluxit suis

Ciuilitate & singulari industria,

Pietate, candore ac simul modestia,

Sinceritate, charitate, spe, fide,

Spectatiore nemo qua fuit indole,

Et blandiore culta mansuetudine,

Vultuq; raram prætulit prudentiam,

Quamuis sinistri labe rumoris carens.

Non alia res impensius ac uerius

Illustrat hanc, quam, non modo quod optima

Vita fuit, fama sed & integerrima:

Id quod licet semper fuerit difficile,

Ætate tum plus fœminis est lubrica.

Natis adaucta quindecim, & ijs bonis,

Pleriq; quorum militantes Cæsari,

Patriam tuendo concidère prælio.

Quosdam educandis prolibus, militiæ

Aulq; plures patrio è solo exules

Sese merendo exercent stipendio.

Alios iuuandæ destinat Ecclesiæ.

Mendicitatis sic amans & appetens,

Vti foris diues, domi pauper foret,

Peculiare pauperum præsidium;

Quos nulla plures terra, quam maritima

Hæmonda profert, quos fouet simul ac alit.

Alit' imò honestis elocat donarijs:

Pios in usus orphanorum & pauperum,

Pecuniarum maximam uim conferens,

Tantumq; seruans uictui sat commoda.

C 2 Quic

E P I T A P H I V M

Quicquid redundat suggerit pauperrimis,
 Liuoris expers neminem pessundedit.
 Comis, benigna, cui libetq; amabilis,
 Non plus amari q̄ timeri per cupit.
 Domi forisq; permanens similis sui,
 Vbiq; pulchrè seruebat tempori:
 Matrōna quantum & alia nemo pia,
 Miris amore superum feruens modis,
 Amabat ut cūm maxime monasticen,
 Laboriosa, liberalis, sustinens,
 Patiensq; supra q̄ fuerit credibile,
 Contenta paruo uictitat abstemia,
 Subigitq; corpus improbis ieiunijs.
 Vt prima semper uisit hanc dei domum,
 Sic & recessit indidem nouissima:
 Quam dirat, ornat, locupletat, instruit.
 Hoc curat unum, seduloq; enitur,
 Vti modestos habeat canonicos
 Doctos, pudicos, sobrios, & integros,
 Qui semper adsint precibus horarijs,
 Nec non subinde (& hoc pie) sacrificent,
 Placentq; nobis iure commotum Deum.
 Multis diebus continenter maximo
 Capitis dolore, febribusq; exæstuans,
 Dei benignitate freta maxima,
 Sumptaq; summa cum fide Eucharistia,
 Et unctiōe ceu optimo uiatico,
 Iam iam migrare gestijt cupidissime,
 Graues labores expetens inserrimæ
 Finire uitæ læta iuxta ac alacris,
 Multas & amplas gratias agens deo,
 Tractamq; hiulcis apprimens labris crucem
 Exire satagit, se leuari credidit,
 Mittiq; duro è uinculo ac custodia.

Media

Media supremum nocte finijt diem,
 Hac dormiens quā conspicis tumba aurea.
 Superas ad auras spiritus mox remigrat.
 Inunc, & effer splendidis epigraphis.
 Inunc, & orna magnificis elogijs
 Saras, Rebeccas, Sephoras & Delboras,
 Annas, Susannas, Dorcades & Lydias:
 Hæc una quotquot sunt præit heroides.
 Requiem precatus omnibus fidelibus,
 Fac Magdalenes etiam memineris.
 Et tu tuæ sic uiuito mortis memor,
 Ut tibi scias, nolis uelis, iter omnibus
 Semel statutum mox capefcendum. Vale.

Excessit autem è uiuis Anno 1538. postridie Natalis
 Deiparæ uirginis Mariæ, annum agens septua
 gesimum secundum. Requiescat in pace.

Amen.

E P I T A P H I U M D. M A
 gdalenæ Vuardenburghensis, singularis
 pauperum adiutricis.

A Emula Christe tuæ pietatis sedula mater,
 Te quantum licuit nititur exprimere.
 Pupillos, uiduas & egenos undiq; quærens,
 Auxiliatrices præbuit usq; manus.
 Sarephthensis uti uidua sitiensq; famensq;
 Quotquot erant inopes pascit & exaturat.
 Nullum maius erat lucrum quam pascere egenos,
 Fœnore nam modico centupla dona tulit.
 Caris annonis armamentaria frugis
 Mendicis aperit, clamq; probe exatit.
 Secretoq; fouens quos dura premebat egestas,
 Pauperibus largas suppeditauit opes.
 Ac uelut exhausta rediuiuus pullulet arca

C 3 Num

E P I T A P H I V M

Nummus, & argentum crescat ubiq; domi:
Sic pia non fenit pereuntem fœmina censum,
Diuite de loculo ditia dona ferens.
Vifit languentes, nudos tegit, atq; famentes
Pascit, & errantes excipit hospitio.
Hoc pietatis iter teneros ingressa per annos,
Decurso stadio præmia digna tulit.
Vt cinis ut puluis terræq; est reddita terra,
In cœlos redijt spiritus unde uenit.

Dialogus.

Negotiator & Ignauus Interlocutores.

Negotiator.

Quid quereris demēs? Ig. Tristi me fidere natū,
n. Arte uales? i. Nulla. n. Ingeiō cōtēde. i. biātes
Esuriūt. n. Querulo tādē succurret amicus.
Ig. Suscipit argentem nemo: nunc rarus Orestes.
Neg. Cōseret antistes. Ig. Sed cōferet antē nepoti,
Et præ me tribuet animarum mille cathedras
Aut scurræ in cœnis garritu & uoce petulco.
Neg. Obsequio certa. Ig. Nunq̄ mercabor honores.
Neg. Aut seruire licet. Ig. Durum est parere togatis
Ditib. à tenui quid speres? Neg. Prodiga quæras
Atria magnatum. Ig. Mentiri nolo. Neg. Placebis
Ergo magis. Ig. Technas q̄ nō amat aulicus, umbra ē.
Neg. Vitā stipe trahas. Ig. Durū est, uolo uiuere liber.
Neg. Infitior esto. Ig. Grauat rationem ferre patrono.
Neg. Viuere nū statuis? Ig. Minimo transmittit ætas.
Ne. Militiā aggredere. Ig. Dom^o excidit aucta rapinis.
Ne. Excole rura. Ig. Tener multū sum corpe. Ne. Neto.
Ig. Turpe mones. Ne. Igit̄ qd uis tibi delige. Ig. Fata
Fortunam expedient. Ne. Rapiant cito forte supinū,
Et nihil audentem. Ig. Rapiant & cætera. Mors est
Solamen miseris: hoc me solatur egestas,
Destituet q̄ non sublimi sede tumentem.

Aere

Aere, potentatu celebres & nomine ciues
 Anguntur pœnis longè grauioribus. Ne. Heu me
 Quã miserum stultumq; est se ignorare. Pigeret
 Ignauum digito tristem depellere muscam.

A L A R D V S A E M S T L
 redamus ad Florentium Partheniũ.

Florida uirginitas quanti sit habenda, pusillum, at
 Nobile cum primis hoc docet elogium.

Compendiarium Virginitatis encomium.

E Saia capite 56. Et non dicat Eunuchus: Ecce es
 go lignum aridum, quia hæc dicit dominus eu
 nuchis, Si custodierint sabbata mea, & elegerint
 quæ uelim, & tenuerint fœdus meum, ab ijs in domo
 mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs
 & filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod nõ pe
 ribit. Sapient. 3. Felix est sterilis & incoinquinata, quæ
 nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respe
 ctione animarum sanctarum. Et spado qui non ope
 ratus est per man⁹ suas iniquitatem, nec cogitauit ad
 uersus dominum nequissima: dabitur enim ei fidei do
 num electum, & fors in templo dei acceptissima. Mat
 thæi decimonono, Et sunt eunuchi qui seipso castra
 uerunt propter regnum cœlorum: qui potest capere ca
 piat. Primæ Corinthiorum 7. Qui sine uxore est, solici
 tus est de his quæ domini sunt, quomodo placeat deo:
 & mulier innupta, & uirgo cogitat quæ domini sunt,
 ut sit sancta corpore & spiritu. Et mox ibidẽ, Bonũ est
 homini uxore nõ attingere. Nam uelim oēs homines
 esse, ut & ipse sum. Bonũ est si manserint ut & ego. Ar
 bitror igitur hoc bonum esse propter p̄sentem necessi
 tatem: nam bonum est homini sic esse, hoc autem ad id
 quod uobis conducibile est dico, non uti bonum uo
 bis iniiciã, sed ut qd honestũ est ac decorũ, sequamini,
 & ut adhareatis domino absq; ulla distractione, attra

C 4 MEN

A L A R D I

men beatior est, si sic maneat iuxta meam sententiam. Opinor autem quod & ipse spiritum dei habeam. Apocalypsis decimoquarto, Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: uirgines enim sunt, hi sequuntur agnum quocumque ierit, & sine macula sunt ante thronum Dei.

ALARDVS AEMSTELREDA
mus suo Philogeni. S. D. P.

Quod me ad coniugij sanctissimi (ut uocas) statum cohortaris, benevolentiam agnosco tuam, qui amico quod tibi est, cupis esse idem. Ergo iam pridem cum filiis Israel, lateritio opere defatigatus, ex Aegypto in desertum ad sacrificandum deo caeli propero. Cum Ioseph Aegyptiam dominam nudus effugere studeo, in eremum subductus ad aquas Marath, ut in duicediuem per crucis lignum uertantur. In desertum Iesum sequi conor, ut de eius panibus satiari merear, ne deficiam in uia. Relicta domo & aequalibus ad ripam Iordanis, & poenitentiae exhortationem a uentura ira fugere gestio. Cum Dauid excitatam in me Saulis inuidiam & immedicabilem iram declinare cupio, spem incolumitatis in latitando fugiendoque ponens. Cum Iacob in Mesopotamiam me recipere animus est. Quid enim Mesopotamia, nisi uita in meo utriusque testamenti studio acta? Cum Mose ad desertam & solitariam uitam, quam humanae perturbationes non uexant, transferre, ut uideam resplendentem lucem, ut ea instructus confirmatusque aliquando post mersos Aegyptios, deuictos omnes inimicos triumphem. Ne me aula haec regia coinquinet ac corrumpat, ne irretiat potentia, me subducere cupido incessit. Quae autem Pharaonis aula nisi fucatus hic mundus? cuius principem daemone sacrum testatur Evangelium

angelium. Laqueos nobis in uia extentos, sed absconditos (de quibus in Psal.) euadere gestio, ut his contritis eripiar ut passer, & transmigram in montes, aut acceptis pennis sicut columbæ uolem & requiescam, aut ut elonger fugiens, maneam in solitudine ubi Helias, Helizeus, Baptista &c. Cum Mose serpētem suspēdere in deserto, & scalam Iacob, cui deus innixus est ascendere conor, uel potius calceos abijcio, ut facilius ad lucem accedam. In terris cœlestem quodammodo uitam agere, & abditus cum sponso Christo delitiari quero. Ambio & quæro magis quam inuenio, ex omnibus finibus Israeliticis Abisac Sunamitidem adolescentulam, cuius complexu calefiat frigidus circumpræcordia sanguis, quo & cor meum inardescat in uia huius peregrinationis. Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplectet me, ut det capiti meo augmenta gratiarū, & eripiat itē me à muliere aliena, quæ se blanditijs uenditat, & relicto pristino marito, pacti diuini obliuiscitur. Paradisi colonum de possessione sua mulier deiecit. Et eiectione inde pelliceis nuptiarum tunicis induuntur, quas Helias ad paradisum rediens abiecit in terram: Nuptiæ quidem non malæ, quas honestauit Seruator, quæ præter alios suscepit Moses ille: sed cœlibatus tanto præstantior, quāto Mose maior Helias. Ille manna è cœlo deduxit, hic ignem. Ille coturnices aduolare fecit, hic uerbo cœlum clausit & aperuit cataractas eius. Mose locutus est deus, cū Helia conuersatus est. Moses mare diuisit & traduxit populum, Helias curru igneo in cœlum sublatus est, ille in mari uiator, hic auriga curru igneo in cœlum sublatus est. Breuiter, ille terrenis miraculis, hic cœlestibus gloriosior. Non hæc tibi respondeo, quod parum mihi placeat matrimonium. Scio Christum nuptijs interfuisse, scio rerum omnium opificem illud iustitias

C s te, &

DE SACERDO.

se, & post diluuium, ut crescerent & multiplicarentur imperasse. An non in Euangelio ipse iusserit dicens? Propterea deserit homo patrem & matrem, & adglutinetur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Et ipse licet de uirgine nasci uoluerit, placuit tamen etiam ut hæc desponsata esset uiro, cui nomen Iosephi. Nolim credas me ignorare non damnanda esse coniugia. Scio enim hoc dogma hæreticum in concilio Gaugrensi iam olim explosum esse. Vt interim filiam ueterem legem hoc honoris impendisse matrimonio, ut quisquis sponsam duxisset eodem anno non rogeretur in bellum exire. Neque nos Marcioni & Manichæi dogma sectantes nuptijs detrahimus, nec Tatiani principis Eucratitarum errore decepti omnem coitum spurcum putamus, qui non solum nuptias sed cibos etiam quos deus creauit ad utendum damnat & reprobat. Porro autem quod obijcis præceptum esse, Crescite & multiplicamini: Esto sanè, sed subijcitur, Et replete terram: Crescat ergo & multiplicetur, cui terra cordi est, qui terrestria quærit, quo terram impleturus sit. Ipse iam didici primam dei sententiam secunda Euangelij lege mutare, quæ beatos pronunciat, qui se castrarint propter regnū dei. Atque dices, & ante & post diluuiū obtinuit ea sententia. Faueor, sed quid istuc ad nos, in quos fines seculorum deuenerunt? Qui probat quæcumque antiquis dicta sunt, idem non improbet, quod iisdem dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente, aliaque innumera, quæ longum esset per censere. Quin apud eos ipsos cœlebs Hieremias, cœlebs uixit Helias, Helizeus cœlebs, cœlebs multi filij prophetarum. Per Esaiam promittit dñs Eunuchis in domo sua, & in muris suis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, & nomen sempiternum. In Apocalypsi cantant quasi canticum nouum ante sedem

sedem, & quatuor animalia & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor milia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, uirgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque ierit. Hieremias captiuitate imminente, uxorem ueratur ducere. Iacob ut cum domino colluctatus est: neruus femoris elanguit, desinitque liberis operam dare. Pascha facturi accingere lumbos iubentur. Et in Euangelicis literis monemur praecinctis lumbis, Euangelij tenere lucernas. Prodeat in medium fortissimus ueritatis assertor, & doctor, qui bonum esse ait homini mulierem non attingere, & uult omnes homines esse, ut ipse erat. Solutus es ab uxore? ne quaeras, inquit, uxorem. Tempus contractum est, superest qui habent uxores, sint tanquam non habeant, praeterit enim habitus huius mundi.

Et Cyprianus in tractatu de habitu uirginum, Virgines quae se Christo dedicauerunt, quae se castrauerunt propter regnum dei, si uirgines esse desinant, non mariti, sed Christi adulterae sunt. Prima sententia crescere, & generare precepit, secunda ad continentiam suauit. Cum adhuc rudis mundus & inanis est: crescimus ad humani generis augmentum. Cum iam repletus est orbis, qui capere possunt continentiam, spadonum more uiuentes, castrantur ad regnum Christi. Cum habitationes multas apud patrem esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat: quae si petitis, carnis desideria castrantes maioris gratiae premium in caelestibus obtinetis. At fortiter reclamatione tu, ei qui ullum interdum stimulum perferens, incunctanter uxorem ducendam, nisi perire uelit. Ridiculum. Vt quidem ne per angustam Euangelij portam, & strictam uiam, nisi cum coniuge incedere non licet: quam Paulus, qui non uauit stimulo per carnem, aut non habuit, ut graues imprimis prodiderunt autores, aut certe, quod in confesso est deseruit. Facilius omnes, quae ignorantur

A L A R D I

contemnimus. Qui semel illecebrā illam gustarit, ut
 canis à corio nunquam absterrebiur uncto. Libido iti
 dem, ut auaritia fundum non habet. Vsu crescit, cui rei
 utinam non tam crebra quotidianorum adulteriorū
 exēpla documento essent, ut nullus sit neq; mod⁹, neq;
 numerus. Sic qbus intumuit suffusa uenter ab unda,
 Quo plus sunt potæ, plus sitiūtur aquæ. Nec mihi du
 bium est quin pro insita tibi pudicitia nō perinde im
 probes huiusmodi uitæ institutum, in quod me uides
 coopratū, nisi q; per fortunas tuas sequi quod proba
 res nō licuit. Vt cunq; est, habemus dona iuxta gratiā
 datam nobis uaria. Vnusquisq; ut ipsi partitus est De
 us, unusquisq; ut illum uocauit dominus, ita ambulet
 tantum in domino. Iam uero quod iterum iterumq;
 inculcas, iussit De⁹ homines crescere, & multiplicari,
 ac replere terram: hoc nimirum est ita ambulare, ut il
 los Deus uocauit. Ergo ne deipara uirgo Maria, quæ
 se uirum non cognoscere testata est, ergo Paulus, Pe
 trus aliq; cum apostoli tum discipuli, ergo tot cœli
 bum uirginumq; milia, diuinum contempere impe
 rium, & ceu Gigantes illi Deo ac Naturæ repugna
 runt? Quod si dicimus, quid restat nisi, ut cum iisdem
 terrifico fulmine in Tartara demur præcipites? ô
 Marias, ô cœlum, ô terram, ô maria Neptuni, quò i
 stos odij deduxit impotentia? Adeoq; non memine
 runt Christum ipsum dixisse esse eunuchos, qui se ca
 strauerunt propter regnum dei, qui potest capere
 capiat. Quibus placent uerba illa Genesis primo, im
 perio dicta accipere, quin hæc eodem imperio dicta
 accipiunt, quæ magis multo sonant imperium? Qui
 potest capere capiat. Aut rationem adferant, cur illa
 imperio dicta, hæc minime sint. Aut si hæc quoque
 imperio dicta accipiunt, superest, ut quemadmo
 dum sacras uirgines & Deo consecratos uiros mona
 sterijs

sterijs profugos, sacrificos plærosque sacri ordinis desertores, prostituto pudore fædis subagitationibus operã dare pridem fecerunt: nunc matrimonio iunctos, soluta lege cõiuges relinquere autores sint. Quum sibi omnia permittant suo arbitratu, imò ce rebrosi uertigine capitis mutare ac remutare.

Ac quod ad sacerdotum cœlibatum attinet, quando & hic uulgo lapis est, in quem impingitur, & pe tra ad quam offendunt, sciant isti, nunquam in Eccle sia, ne apostolorum quidem temporibus permissum fuisse iam sacerdotibus aut diaconibus, matrimonio iungi: sed ante matrimonio iunctis concessum fuit sa cerdotium aut diaconatum adire non relicto ob id cõ iugali officio. Quod tamen quum uehementer con tenderent hæretici quidam, nempe ut maritali conti nuò officio abstinerent, constanter obnixa est Ecclesia Gaugrensi concilio, quarto canone, sub anathematũ denunciatione contrarium decernens, & ante hoc in maxima Nicæna synodo uenerabilis confessor Paf nu tius. Sed obijciunt Apostolum ad Timo. ac Tirum præcipientem, ut Episcopus ac diacon sit unius uxo ris uir. At uerò id non sic præcipit Apostolus, testi bus ipsis adeò ueteribus doctoribus, ut, si non habue rint uxorem, ducant, sed ne duas habuerint. Si enim digniorem faceret uxor, & non magis bigami aut trigami initiarentur, sed quia tunc in nouello germi ne, non tot erant uirgines, quòd necessarij erant sacer dotes, ideo sunt ordinati mariti. Alioqui quis (ut dixi) melius Paulum inteilexit, quam ipsemet semet: qui & ipse cœlebs uixit, ut satis liquet ex 1. Corint. 7. consentientibus antiquissimis patribus, nominatim D. Ambrosio, quem breuitatis studio adduxisse contẽ tus ero. Is in eum quem proxime citauimus locum, scribit in hæc uerba de B. Paulo, Non diceret, bonum est

D E S A C E R D O .

est in nuptis ut sint sicut & ego, nisi esset integer in corpore. Nec diceret, Omnes homines uolebam esse sicut me ipsum. Si enim habuerit uxorem, & hoc dixit, uirgines esse noluit, sed absit. Sic enim à pueritia spiritu seruiuit ut huius rei studium non haberet. Quippe quum iuuenulus anticipatus sit à gratia dei. Hæc Ambrosius.

Omniū igitur errorum qui sunt innumerabiles haud scio an ullus sit uulgatior, adeoq; perniciosior, quam illorum sciorum hodie & heri natorum, qui quocunq; in loco, quo scūq; inter mystas religiososq; uisum est, sacerdotibus ducendas esse uxores, in postremisq; habendum cœlibatum uociferentur. Neq; crediderim ullā item lætaliore in uitā hoīm pestē peruasisse, q̄ eorū qui pestilentissimū hoc dogma ubiq; publicitus crepant, inculcant, & ad nauseā usq; deprædicant. Eamq; cantionē plusquam Sirenæam extra æditos omnis generis libellos, auribus etiam adolescentium rerum imperitorū, & libere eductorū nusquā nō occurrunt, hoc est (quod aiunt) oleū camino addunt. Ad eū porrò errorem pœnitus animis eximēdum, plurimū adferet adiuuētī Cōcionatoris euāgelici Descriptio. Qua cum si desumpta ex Vxor̄is siue Mulieris Descriptione dissentanea pugnantiaq; (uti docet Rodol. Agricola lib. de Inuent. Dialect. 2. cap. 28. & 29.) compoſueris, procliue fuerit nullo negotio eorum coarguere ineptias qui cœlibatum uituperant. Verum donec mus à sacerdotibus ducēdas esse uxores, tamen longe alienum à sanctionibus Episcoporū Romanorū Christi uicariorū: Præcipue hoc seculo plusq; corruptissimo, quo in nuptijs non spectat̄ probitas, nō uirtus, nō alia nuptiarum cūmoda, sed tātum opus, & studium pecuniæ corradēdæ. Qui opibus affluūt pares querū, nō inferiores, quanq̄ uirtutibus spectatiores. Quare:

Nisi

Nisi quia nō cōfidūt Deo, sed magis Māmone, cogitātes suas diuitias: quibus si pares aut etiā ampliores possunt adiungere, nihil sibi defuturū pollicētur, Dei providentiæ nulla ratio, nō putātes deum melius & posse & uelle secū dare nuptias, si diues pauperē hac fiducia in deum & uirtutis amore duxerit. Sed priscorum seculorum, imō maiorum ac pœnē patrū nostrorū hæc laus fuit. Nunc passim refrixit charitas, regnat cupiditas & supremus omnium bonorum neglectus. Rusticis quoq; quorum hæc laus hæctenus fuit peculiaris, iam degenerantibus. Vt maxime fas sit, tamen parum est tutum aggredi hisce importunis hortatoribus imō coactoribus, insigni uanitate notatissimis, quibus nihil nefas unquam fuit neq; in facinore, neq; in libidine, qui sub prætextu humani generis adaugendi libidini suæ seruiunt. Vt deceat, ut tutum sit, tamen prorsus abominandum facinus & morte piandum deuirginare uirgines deo cōsecratas, uestales atq; sanctimoniales uitiare atque adeo incestare, tibi matrimonio copulare, id quod propudia ista prope quotidie nusquam non faciunt, alijsq; itidem licere impudenter asseuerāt. Iam uero quod obijciunt, Si nupserit uirgo non peccauit: Atqui non illa accipienda est, quæ semel se diuino cultui dedicauit. Harum enim si qua nupserit habebit damnationem, quia primam fidem fecit. Virgines quæ post consecrationem nubunt ex æquo adulteræ atq; incestæ sunt. Dij boni quam amant Venereos amplexus pertinacissimi isti uotorum refractarij, adeo improbi, ut quo nomine debeant appellari non satis inueniam. Haud scio magis ne deum contemnant, an eius sanctos irrideant. Dispercā si qd illis charius est nuptijs, quibus eas tamen alioqui modis omnibus inuisas esse cōueniebat, idq; multis de causis. Primum si pietatem spectes, matrimonium est impedimento

pedimento

pedimento properantibus ad Christum. Deinde si uita iucunditatem, innumeras curas secum adducit & felix coniugium. Vt interim sileam de incommodis matrimonij & commodis cœlibatus. Præterea si libertatem quã multi & uitæ anteponunt, hanc inprimis adimit coniugij uinculum. Vt honorabile sit inter omnes coniugium, & cubile impollutum, tamen tanta afflictionum multitudo etiam matrimonium honestissimū atq; auspiciatissimū cōsequi solet, ut nō tanti uel pphano homini (mō non prorsus uoluptuario) debeat esse matrimonia per mille incōmoda sollicitare: nedū eis qui quotidie accinctis renibus, calceatis pedibus, baculos tenentes agnum iubentur comedere cum lactuicis agrestibus, ut castitate præcincti illuc perueniant, ubi Christ⁹ in dextera dei sedet. Vt sacerdotum sit ducere uxores, certe profligatissimorum nebulonū, atq; nepotum libidine non admodum dissimilium, non abstemiorum. Vt horum etiam sit haudquaquam tamē religiosorum aut cœnobarum. Quandoquidem monastica religio nihil aliud est, quam continentia siue cœlibatus, paupertas, & obedientia. Vt alios opulētos deceat, oīm indigos tamen non decet, quod genus ferme sunt quotquot sunt homines nostræ turbæ, hoc est uulgus sacrificorum, non senes, nō ualeudinarios, nō studiosos, non sapientes. Accipe de hoc testimonium Thaletis Milesij, Solon Atheniēn Miletum profectus, quum frequenter cum Thalete congregaretur, ac forte ambo ex consuetudine in publico deambularent, qdam consilio Thaletis, filij mortē illi nunciauit, ad quē a trocem nuncium adeo uir ille cōsternatus animo fuit, ut repēte sese humo affligeret, capillum & barbam uelleret utraque manu, fœdaret uulneribus ora, palliumq; laniet. Cui Thales, Bono, inquit, animo sis, filius tuus uiuit, at experiri uolui an uxorem ducere & filios

lios

4
maturorū & præcipiti cōiugij uinculo plusquam ad
mantino uindicare. Ab his igitur (si forte nonnunquā
dignabuntur lucubratiunlam hāc inspicere) petitum
impetratumq; uolumus, ut conatum hūc nostrū boni
& æqui consulant. Illud uerissime affirmo, syncerissi-
mo me studio cum Lectore agere. Quamobrem nil ul-
tra postulo, q̄ ut paria mecum faciat. Quæ autem pa-
rum plana uidebūtur aut minus plena, petimus ut ea
non docendi magis q̄ admonendi gratia scripta existi-
ment, ut certe sunt. Possum me tueri Lucilij exemplo,
q̄ se Tarentinis, Siculis & Consentinis scribere aiebat,
ita nos Batauis. Porro autem quod Iacobum Valeolę-
tum, fratrem tuum germanum iuuenem summa qui-
dem doctrina, uerum morum integritate neuti-quam
inferiorem sese, modis omnibus simul instigas, simul
adiuuas, ut post prælectum illi à nobis idq; Louanij,
Rodolphum de Inuētiōe Dialectica, Doctor artium
creetur primum, deinde utriusque iuris Licentiatus,
meritò te amo mi Valeolæte.

Ecquid ni amem uerò. Vt enim in numeris mino-
res additi maioribus, eos multiplicāt, & uicissim mul-
tiplicantur ipsi: Sic frater obseruiens fratri euecto ad
honores, & auget illius dignitatem, & uicissim orna-
tur illius splendore: nasciturq; inde illa, cuius me-
minit & Horatius, Fraternalis animis quicquid uolet
alter & alter. Item, Arctius ac hedera procera astringi-
tur ilex. Quoties & huius fraterni beneficij & nobis
alijsq; permultis liberaliter impensi prouentum mo-
re negotiantium ad calculum reuoco, reuoco autem
frequenter: toties nimirum re ipsa experior uerius ue-
ro esse, eorum qui uirtute sunt præditi, nullos magis
(ut autor est Aristoteles) q̄ liberales amari. Quæ est au-
tem melior in hominum genere natura, quàm libera-
lium & eorum qui se natos ad homines iuuandos, tu-
tandos, conseruādos arbitrantur? Hoc tibi ingenium
F indidit

indidit natura, nō promis affectus tuos, sed effundis. Beneuolētiæ, gratitudinis, charitatis seruare modum non tam non scis, quā non possis. Non solum ex oratione, sed etiam ex uultu & oculis & fronte (ut aiunt) tuum ergā uere studiosos omnes amorem nusquā nō perspicere est. Id quod perquā rarū est reperit apud homines tui ordinis. Iam uerō ut arithmeticoꝝ digiti aliquando ualent multis milibus, aliquādo nihil, sic magnatum amici aliquoties quiduis possunt, rursum mutata in fastidium gratia, nihil possunt. Id quod cum sæpe aliās, nunc potissimum experimento hic didici. Proinde ex peruetusto armario hoc omnis antiquitatis differtissimo nihil p̄ter hæc Abaci mysteria, quod tibi usurarium transmittam, precario possem obtinere. Nō ō bone stare, Si quantū cuperē possum quoq; non meus audeat Attentare pudor, q̄ uires ferre recusant. Acrius instanti mihi, ut & quædam alia cōcrederet utenda, respondit armarius atq; adeo argentarius (argentū enim nō est illi æque carum ac libelli huiusmodi, quos pleriq; ne cassa quidē mice redimerē.) Ibo intro, atq; intus subducam ratiunculam ac post meminerō. Aes petit, itur, putatur ratio cum argentario: interim dum nuncius urgeret, Abacum misimus, ne omnino nihil mitteremus. Bene uale.

QVAE FACIUNT HOMINEM
contemptibilem, eleuantq; autoritatem.

Rusticitas.

HAec reddunt hominem parum probatum,
Contemptum pariunt, mouentq; risum,
Luxus, crapula, uanitas, inepti
Mores, futilitas, loquacitasq;
ἕρπαια frequens, frequensq; scomma,
Rixandi studium, nimis faceta
Liberitas sale tincta amarulento.
De se turgidus, arrogansue sermo,

Affectatio

Affectatio cultius loquendi
 Admiscens peregrina uerba, lingua
 Neglecta patria receptiore.
 Fastus, cœcus amor sui, susurrus.
 Obrectatio, uiperina lingua,
 Et rixæ tuba iurgium futuræ.
 Lites, ebrietas, amor senilis,
 Obscœniq; senes, senesq; spurci.
 Ostentacula, inhospitalitas ué.
 Vasta corpus obesitate turgens.
 Curandæ studium cutis, gulæq;
 Indulgentia, lusus alearum.
 Frons attrita, pudoris expers omnis.
 Tum saltatio motibus pudendis.
 Fœdæ spurciloquæq; cantiones.
 Si cui te facias nimis sodalem,
 Et si non modereris actiones.
 Excussis ué rotes comam capillis.
 Fuci, uafrities, rapacitasq;
 Inconstans animus, malis adulans,
 Auerfansq; bonos, & eruditos,
 Lucro intentus, amans pecuniarum,
 Captans munera & undecunq; uenans,
 Fortunis inhiansq; ditiorum,
 Mordax, liuidus, arrogans, superbus,
 Præfractus nimis, & nimis seuerus.
 Submorosulus, asper, inquietus,
 Iracundus, iners, ferociensq;
 Plus æquo taciturnior, senectus
 Et uinosior atq; turpiori
 Lucro dedita, quàm decet uel æquum est.
 Technæ, fluxa fides, dolus, tyrannis.
 Hæc reddunt hominem parum probatum.
 Quæ gratam, fidem pariter ac autorita-
 tem pariunt, par tamq; tuentur.

tas.

Contra conciliant fidem, parantq;
Laudem, gloriam & æstimationem,
Ciuilem faciunt & experendum,
Si mores niueos, amabilesq;
Præ se uita ferat, feratue sermo,
Verax mentis imago, certus index,
Verbis teu speculo procul renidens.
Si comes placidi, probi, modesti
Gestus, si grauitas decorq; uultus,
Verecundia, castitas, pudorue,
Famæ buccina si celebrioris
Clarescat magis ac magis subinde,
Qua toto celebraris orbe, iuxta
Ac à morte diu manes superstes.
Si constans adamantinumq; pectus.
Celsitudo animi, sed hæc referta
Prudenti placidaq; lenitate.
Si solertia rebus in gerendis
Mularum experientiaq; rerum,
Quas longo tibi compararis usu.
Nec non actio crebra gratiarum,
Et morum integritas, nitorq; uitæ,
Affectusq; animo pio profectus.
Grata affabilitasq;, comitasq;
Ciuili grauitate temperata.
Sane quàm placidus, pius, modestus,
Sedatusq; animus, foris relucens.
Externos habitus habens probatos,
Non tantum placidus, sed ipse placans
Quantumcunq; potest, ubiq; turbas.
Conditus sale sermo, non redundans,
Iactans, lubricus, arrogans & asper.
Aegrotanti animæ atq; fauciatæ
Lingua, lingua medens & expiatrix.
Multæ diuitiæ, sed absque fraude,

Iusto

Iusto si tibi contingere lucro,
 Et contemptim habitæ, & pios in usus
 Expensæ, sine gloria cupita:
 Parsimonia, ueritas in omni
 Dicto, sobrietas, silentiumq̃,
 Arcaniqũ fides, honestus hospes,
 Conuictus facilis, sine arte mensa.
 Castimonia, sanctitas, benignum
 De re iudicium parum probata.
 Prudens simplicitas, ubiq̃ quiduis
 Flectens in melius modo ferendum.
 Mansuetudo, quies, breuisq̃ somnus
 Puro lumine si uigent ocelli.
 Auditus penetrans, & albicantes
 Dentes, uox resonans, parumq̃ acuta,
 Compactum, solidum, atq̃ succulentum
 Corpus, cum senio nihil senile
 Præter tempus, & illud ingrauescens.
 Præter consilium iuuando quemuis,
 Præter iudicium sagax, & usum.
 Cani cunq̃ rubore discrepantes.
 Aetas florida, sed modesta, constans,
 Prudens, sobria, casta, parca, frugi.
 Pulchro in corpore pulchra mens locata.
 Tum matura iuuenta, casta, gnaua,
 Constans fœmina non loquax anus, nec
 Lasciuæ uiduæ, atq̃ prurientes,
 Insignis speciesq̃ sanitasq̃,
 Tum nexo pede, uoce tum soluta
 Mire uena fluens & expedita,
 Et facundia, diuinitas & oris,
 In dicendo Venus peculiaris,
 Quam natura dat, exhibetq̃ paucis,
 Quæ nondum reperit suum uocablum,
 Sentiur tamen, idq̃ cum stupore.

HORRENDVM CVM PRIMIS VL
tæ scortationis exemplum per Phinees sacerdotē, Nu
meri 25. Iosue 22. Deuteronom. 4. Oculi uestri uide
runt. Deuterono. 23. Non erit. Psalm. 105. Et initiati
sunt Beelphegor. Hieronymus in Sabinianum solici
torem uirginis ad stuprum, Caue ne Phinees cū Ma
dianitide fornicantem sua hasta configat, qui plusquā
Thamar uirginem frater & consanguineus polluisti,
uersus in Genesis 28. Absalon, occidere eum cupis
qui te rebellantem plangit & mortuum. Clamat con
tra te sanguis Nabuthæ, & 2. Reg. 13. uinea Israel hoc
est feminis dei, quam in hortum uoluptatis & lasciuie
holera conuertisti dignam de te ultionem reposcit.

In Baal Peor seu Beelphegor crapula luxuq; co
li solitum, pariter & in scortum Madianiti
dem sacerdotali pugione confossam.

QUO non cæca ruit spurcorum turba, parumper
Destituente dei qua releuamur ope.
Forte dies medi⁹ tenues cōtraxerat umbras,
Inq; pari spatio uesper & ortus erat.

Flauaq; maturo tumuerunt tempora cornu,
Et lætas uuas pampinus exhibuit.

Tum iuuenes lasciuia cohors sibi pocula quisq;
Obuia corripunt, siccaq; proijciunt.

Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco,
Concauat ille manus, complicat iste uolas.

Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Musta labris, alius cymbia mergit item.

Non nemo latices pressis resupinus ab uuis
Excipit, & saliens manat ab ore liquor.

Spumeus inq; humeros & pectora defluit humor,
Omnia ludus habet carmina, sinistra, choros.

Omne puellarum genus adfuit, omne procorum,
Luditur in castris, otia miles agit.

Et Venerem iam uina monent, promiscuo amore

Concubis

42
Concubitus inhiant, sollicitantq; thoros.
Iam iamq; elapsas hic crine, hic ueste retentans
Nymphas, incesto poluit usq; stupro.
Obsceno coitu, turpiq; libidine sese
Conspurant, Veneri clamq; palamq; student.
Lasciuumq; pecus salientes accipit hircos,
More canisq; cubat, more suisq; subat.
Hanc tibi spurcitiem Balaam maledicte propheta
Acceptum referunt, auspicioq; Balach.
Tu siquidem tanti sceleris, luxusq; fuisti
Autor, & hortatu res male cœpta tuo.
Quò diuina graui defœuiat ultio pœna,
Erigis idolum quale Priapus erat.
Illecti blandis mulierum uocibus, unã
Obscruantq; Baal, sacrificantq; Phegor.
Suspicit omnis eum tellus, gens omnis adorat,
Cantatur spurco spurcus & ore deus.
Cui nymphas quibus orbis habet nil pulchrius usq;
Vxoresq; suas prostituisse solent.
Et solenne fuit ueteri pro more quotannis
Vicinam alterius coniugem habere uiri.
Huic deus iratus, magnatum quicquid ubiq; est,
In cruce suspensi Mose fuere duce.
O Balaam fili Belial tibi terra dehiscat,
Idolumq; tuum funditus intereat.
Vt Madianitis cum primis mobile scortum
Cozbi (quæ fuerat principè nata uiro)
Omnigenis instructa dolis, excultaq; fucis,
Visa fuit Zambri: mox & amata fuit.
Ille nihil cunctatus adit, uel Mose uidente,
Atq; adeò toto flente subinde grege.
Tum Phinees imitatus auum, zeloq; fideq;
Atq; sacerdotio, strenuus ultor adest.
Ingressus ganeum, genitali perfodit aruo,
Turpe cohærentes nec finit esse diu.

Semper ab hac opera Phinees laudabere, semper
Laudibus in cælum iure uehêris item.
Quando ministerium nactum perstrennue adornas,
E manibus gladium uindictis excutiens.
Mox cæli grauitas, mox pestis ubiq; fugata est,
Iustitiæ laudem hinc semper & emeruit.
Placatoq; deo passim quassatio cessat,
Et redit extinctæ candor amicitia.

In Ocnum collegij Apum cognomento Melis
farum uirginum moderatorem Hyblæ.
Florida tam uario non pingitur Hybla colore,
Cum breue mellificæ uer populantur apes.
Nec præbent apibus tot amœna rosaria flores,
Quanta semel mota suppetit esca rota.
Sæpe fatigabat precibusq; & uoce, priusquam
E petra Moses paululum aquæ eliceret.
Saxea uix tenuem crebro feriente crepido
Virga aquilam fudit, uix laticemq; dedit.
At tua sponte tibi multo madet usq; Lyæo
Mensa, nec imploras quæ tibi uina ferant.
Quæ numero tot sunt, quot in horro fertilis arui
Punica sub lento cortice grana rubent.
Surrentina scyphis sorbes, gemmaq; phalerna,
Et Setina auidis faucibus euacuas.
Grandia fumoso spumant crystalla Lyæo,
Et bibit in calices lapsa patella tuos.
Larga coronata ponuntur pocula mensa:
Sic iuuat ætatis ducere fila tuæ.
Vis ut apes immensa tibi carchesia ponant,
Omnis & interea sæpius Hybla sitit.
Rure leuis uerno flores apis ingerit alueo,
Tu farcis aluum, & tendis aqualiculum.
Ignauusq; hæres cumulata ad pabula fucus,
Officiosa & apes quæ peperere uoras.

Abforbes

45
Abforbes epulas, & plenæ pocula mensæ.
Hic amor, hoc studium, hic religionis amor,
Vis tibi mox fulcro sternatur lectus eburno,
Suffultusq; thoris pluribus emineat.
Inclusas & apes latebroso in pumice seruas,
Qui raro aut nunquam uis residere domi.
Hinc ubi uestigas, & fumum spargis amarum,
Illæ intus mox per cærea castra sua
Discurrunt, magnisq; acuunt stridoribus iras,
Intus & occulto murmure saxa sonant.
Commotæ glomerantur apes: si dulcia raptu
Mella trahas, nubes aspera ubiq; fremit.
Inq; uicem sese stridore hortantur, & omnes
Illicet unanimes hostis in ora uolant.
Amplexæ flauamq; domum, captiuamq; plangunt
Mella, laboriferæ quæ peperere manus.
Hinc simul effætas linquunt examina cæras,
Nec miscent alas nexibus omnigenis.
Sed sibi quæq; uolat, nec iam degustat amarum
(Ut prius assueuit) desidiosa thymum.
Ad dulces cæras & odori corticis antra
Mellis apes auidas huc properare uides.
Raucum commixtæ glomerant ad limina murmur,
Nubilo ubi nubes uenit aquosa die.
Vis, matutini postquam sonus increpat æris,
Attonitæ fugiant, exiliantq; foras.
Vis studium repetant, & sparsi mellis amorem,
Lentus in Hyblæo gramine luxurias.
Diuitias seruare casæ uis? Viuito parcè,
Parca sit exemplo, quod mediteris, apis.
Nequicquam conaris apes reuocare fugaces,
Tinnitu quassans æra subinde procul.
Persida deploras uacuis examina cæris,
Lectas mellis opes lautior esca rapit.
Omnibus illud apum quondam uenerabile nomen,

Collegiumq; tua displicet ingluuie.
Nec cytiso saturantur apes nec gramina riuus,
Nec potu aut epulis fœda tua ingluuies.
Haud aliter graderis, quam si uenabula taurus
Corpore fixa gerat, quod gula pondus alit.
Te pluuia, te picta iuuant & stragula, nec non
Pauonis uario sponda colore nitet.
Vt fartus catulus ui magna irreptat in ollam,
Sic mox in lectum tu saturatus abis.
In mediumq; diem dormis, stertisq; profundum,
Et tuæ apes summo per thyma mane uolant.
Te uacuare fauos iuuat & liquentia mella,
Has stipare iubes quæ famulantur apes.
Aut onera accipito, gnauasq; iuuato Melissas,
Aut mihi decoctor, non moderator eris.
Aut uarias dulci distendito nectare cellas,
Aut tu depastor non mihi pastor eris.
Atq; utinam primis animam te ponere cunis
Iussisset quæuis de tribus una soror.
Ne multo Stygias luxu eneruatus in undas
Præcipitere senex, helluo, & ingluuies.

In eundem.

Non de concussa tantum ruit ilice glandis,
Quanta instructa tibi sercula mensa dedit.
Non tamen agnoscis tantas qui suppetit escas,
Nec, uelut ut par est, gratiam agis uè deo.

In Ocnium crapulatorem.

Non blaterat, non dormitat, non oscitat Ocnus.
Isthud heri, quid nunc? aut uomit aut comedit.
Epitaphium Olli.

Luxuries nunquam paruo contenta paratu
In causa est, Ollus cur perit ante diem.
In caput aurito cecidit delapsus a fello,
Quando probe potus nocte iter ingreditur.

Aliud.

Quid mi

Quid mirum crudas uomuit si mortuus escas
Ocnus? quas sumpsit, concoquere haud potuit.
Philetimus in Simonem Curionem.

46

Iure tibi nomen uenali Curio lingua,
Sacra Simon emit, tu quoq; uendis ea.
Vsq; adeo ne nouum ecclesias si Curio uendat?
Emerat ille prius, uendere iure potest.
In eundem.

Quid ni saepe suas permutet Curio curas?
Vanales mutat quaelibet aura manus.
Cum deglubis oues, non tondes Curio, nunquid
Re depastor eris, nomine pastor eris?
In eundem.

Cur tua contemnens, aliena negotia curas?
An tibi te quisquam iunctior esse potest?
In eundem.

Carmen deridens appellat Curio crimen:
Carmen amat quisquis carmine digna facit.
Sacra quod instanti nequijt sibi sumere morte
Quid mirum postquam Curio uendiderat.
In Simoniacam haeresim ad Curionem
per Philetimum.

Creuit in Ecclesia monstrum genitore Losinga
Simonidum secta, canonum uirtute resecta.
Petre nimis cessas, Simon uolat, ardua tentat.
Praecepte spiritibus, lentescat ut iste uolatus.
Qua uolat arte cadat, petra tale uolatile fiat.
Vt ruat haec turris, faciat tibi tradita clauis.
Ecce domum pacis aries quatit impietatis,
Pro dolor Ecclesiae nummis panduntur & aere.
Claue Simoniaca referantur ouilia sancta.
Si praesens esses, furem Petre nonne ferires?
Malleus argenti confringit ouilia Christi.
Quid lex sacra facis? quid sancta Mycaea filescis?
Dormis an uigilas? nam cur sententia cessat.

Res nimis

Res nimis iniusta, fit nummus præful & abbas,
Filius atq; pater, sed spiritus almus abhorret.
Gratia furtiuæ quia damnat dona monetæ.
Filius est præful, pater abbas, Simon uterq;
Est Petrus exclusus, modo Simon in arce locatur
Sub specie sancta, uestitus ueste cuculla.
Cerno lupū monachū, bene gyrat ab ante retrorsum.
Est bene subtonsus, boris, tunicisq; politus.
Iurat (crede mihi) cui Christus credere nescit.
Stat lupo ad caulas, premit agnum dira læna:
Hic tremit, illa premit, canis adstat, opilio dormit.
Ut reor, est notus, similiq; cadauere pastus,
Et semel emissus fugit irreuocabilis arcam.
Ut Mopso Nisa, coruo datur ecce columba.
Qualis pulus erit quem fert commixtio talis?
Ne monstrum pariant faciat deus, oua putrescant.
Alba datur nigro, detur modo tigris onagro,
Agnæ lupo, lepore canis, apro capta læna,
Cervæ boui, bos urse tibi, uulpecula lynxi.
Passeribus perdix, miluus societur olori,
Accipitres merulis, bubonibus anca sinistris.
Omnia mutantur, possint, quia posse uidentur:
Regnat enim Simon, cum Simone pessima Mammon.
Quid non speramus, si nummos possideamus?
Omnia nummus habet, quæ uult facit, addit & aufert,
Securus regnat, obstant contraria nulla,
Distribuit leges, quid non speretis euentes?
Si quid forte nocet, adsit, modo nummulus aufert.
Nummulus est parma, fit nummulus arcus & arma.
Roma caput mundi, tu quondam talibus ultrix,
Aut citius uenias ultrices reddere pœnas,
Aut caput, ut fueras modo, caudæ uictima fias.
Si sis uenalis (quod quondam Numida risit)
Emptor non deerit, tu uendes atq; peribis.
Talibus ipse deus quondam cum reſte minatus,

Mensas

Mensas, & sedes de sacris ædibus arces.

Dic sint Maranatha Deus hi, sunt, dic anathema.

In simulachrum Concordiæ.

Quæ dea? Romana. nomen? Concordia. parua?

Quòd res magna meo redditur auspicio.

Nil adeò infirmum est, quod non Concordia firmat:

Extruit hæc muros, ædificatq; domos.

Vtq; ferunt imbrem gelidis concreescere uentis,

Arida qui recreat pascua rore suo,

Inde niues fieri, niuibus quoq; mole rotatis

Astringi, & na sci grandine corpus: ita

Stipatu fortuq; meo gelidissima quæq;

Mox efferuescunt & calefacta manent.

Auctibus assiduis unum glomerantur in orbem,

Grandescunt, coeunt, luxuriantq; nimis.

Monte Palatino quid? Ab omnibus usq; uidendam

Me Drusilla tibi Liuia constituit.

Nil ita sublime est, supraq; pericula tendit,

Non sit ut inferius, suppositumq; mihi.

Quare tuamq; refert tibi sacra Ciconia formam?

Summa q; est cultrix hæc pietatis auis.

Quid rides? mea non duro præcordia ferro

Vincta, nec in tenero stat mihi corde silex.

At scissa tristis uidit Discordia palla,

Quicquid & astrictum est, illa relaxat idem.

Vipereum crinem uittis innexa cruentis,

Aspera ciuili cuncta cruore replens.

Nec magis incepta uultumq; à cæde mouetur,

Quàm scopulis cautes cedit & atteritur.

Sis licet & saxo ferroq; & durior omni,

Non tamen edomites hoc Adamantis onus.

Paternæ uerecundiæ exēplum, Gene. 9.

HAud fas esse docens lætos sterilescere campos,


Arua colit Nohah, gnauus ut agricola.

Exercetq; frequens uites, ac imperat uuis,

Vuidus

Vuidus unde domum sole calente redit.
Tum simul expletus dapibus, uinoq; sepultus,
Ceruicem inflexam uix bene ferre potest.
Vertitur, inq; humeros ceruix collapsa recumbit,
Diductisq; labris pendula lingua micat.
Alternos longo nitentem stipite gressus
Peruestigantem, quoué teneret iter,
Sæpe uacillantem, nutantem, & sæpe morantem
Instigant operæ, mancipiumq; trahit.
Concurrunt trepidi famuli, Dominumq; subinde
Lapsantem tollunt, suscipiuntq; domum.
Corripiunt, interq; manus sub tecta reponunt,
Sub dio stratum nec recubare sinunt.
Extructosq; thoros obtentu frondis inumbrant,
Potum hic sublimem deposuere senem.
Dum stertit, totoq; & profert pectore somnum,
Attractis ronchos naribus ingeminat:
Vestimenta procul nudis delapsa pudendis,
Nunc huc, nunc illuc uentus & æstus agit.
Cham minimus natus, perfrictæ frontis ephæbus,
Cui pudor omnis abest, cui metus omnis abest:
Accelerat patrem somno ridere grauatum,
Inflatumq; nouo quod bibit ante mero.
Nec deterret eum capitis reuerentia cani,
Detegit arcanum quod uidet opprobrium.
Obscœnamq; patris partem sine ueste iacentis,
Infami digito prodidit irreuerens.
Sem cum fratre Iaphet mox deflexere retrorsum,
Auersiq; horrent dedecus aspicere.
Iniiciunt humeris, bene laxis pallia limbis,
Nuda quibus magno membra pudore tegant.
Edormiuit ubi uinum, quod nescius hausit,
Mox didicit quod Cham flagitium exhibuit.
Ira efferuescit, penitus dolor ossibus ardet,
Imo in corde ingens æstuat atq; pudor.

Obstuper




Obstupet insoliti confusus imagine probri,
 Obtutu tacito stans nimis attonitus.
 Ut primum discussæ umbræ & lux reddita menti est,
 Aestus & irarum effusa & habena fuit:
 Ardentes oculos collecta ad pignora torquet,
 Turbidus extructis respicit eęq; thoris.
 Sit maledictus, ait, Chanaam puer ille scelestus:
 Fratibus æternum seruiat ecce suis.
 Sem benedictus erit, & erit benedictus Iaphet,
 Vestra deus uarijs impleat arua bonis.
 Et nati natorum, & qui nascentur ab illis,
 Omnigeno terram semine multiplicent.


FINIS.


Societatis Iustæ Paderbornæ.


ERRATA.

Licere fol. 2. f. 2. Leydensem ibid. Polyphemõ fo. 4
 fa. 2. Galatæa ibid. cedit ibid. caninos fo. 5. f. 1. certarit
 fo. 5. f. 2. choreis ibid. Serpsit ibid. Crispini fo. 7. f. 2. op
 pilo fo. 7. cerue ibid. iam soror fo. 14. f. 1. stellas ibid.
 & in ibid. Ego. fo. 20. f. 2. maxias fo. 22. f. 2. saurus ibid.











RER XIANA
R. MEMORIA
ET
DOCTRINA
SCHOLAST.

Th
970